DE

LIBRI TERTII CARMINIBUS

QUAE

TIBULLI

NOMINE CIRCUMFERUNTUR.

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

ORDINE PHILOSOPHORUM ARGENTORATENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

SELMARUS KLEEMANN
NORDHUSANUS.

ARGENTORATI
APUD CAROLUM I. TRUEBNER.
1876.

De libri tertii carminibus, quae Tibulli nomine circumferuntur.

Caput I.

Nullus exstat locus in Tibulli carminibus, quo doceamur, utrum elegiarum suarum suique nominis immortalitatem speraverit necne. Quod et Horatius[1]) et Propertius[2]) et Ovidius[3]) et alii Augusto aequales laudibus freti meritorumque fiducia haud iniusta superbientes fecerunt, Tibullus ne semel quidem de sua ipsius virtute praestantiaque locutus numquam et nusquam ad posteritatem provocavit, quasi animo praesensisset, quam aspere et inique cum posteri tum nostra aetas ipsum tractaturi essent. Et profecto miro modo poetam exercuit fortuna; nam cum maximi dum vivit a praestantissimo quoque poeta artiumque liberalium fautore aestimaretur, non ita multo post mortem paene oblitteratus de hominum memoria excidit: elegiis vere Tibullianis adnectuntur carmina a diversis poetis scripta et ubi codices litteris post quartum decimum saeculum renatis e bibliothecarum pulvere eruti sunt, Itali et corrigendo et interpolando genuinum Tibulli verborum contextum deformant. Tum exstitit Scaliger, qui acri medela in arte critica sed magis pro arbitrio quam cum ratione certa usus Tibullo maxime profuit, et

---

1) Cf. Hor. carm. II, 20, 5 sqq. III, 30, 1 sqq. IV, 9, 1 sqq., ep. I, 20, 17 sq.

2) Cf. Prop. I, 7, 9 sqq. IV, 1, 35 sqq.

3) Cf. Ov. Am. I, 3, 25. 10, 59 sq. 15, 42. II, 17, 27. III, 15, 20. A. A. III, 340. Met. XV, 876. Trist. I, 6, 35. III, 3, 78. 7, 50. IV, 10, 130. ex Pont. II, 6, 34. III, 2, 30.

quamquam et tollendis et transponendis versibus nimis audacter carmina sanare studuit, tamen cura sua quaestionibusque a se propositis multa inesse in elegiis, quae curationem desiderarent, luculenter ostendit. Scaliger autem nondum de carminibus vel totis libris Tibullo abiudicandis aut adscribendis quaesivit; quod genus artis criticae Tibullo primus videtur Barth adhibuisse, qui in commentario Thebaidis Statianae [1]) ad lib. II v. 247 [2]) adnotavit haec: ‚Vide Tibullum initio Panegyrici, quem vocant, cum tamen humilitatem affectet id carmen, et sit oppido quam simile Maniliano characteri, unde suspiciones nostras alibi proponimus.' Inde ab eo tempore multi et docti viri in hoc distrahendi corporis Tibulliani studio operam consumpserunt multumque res in utramque partem est ita disputata, ut atrox utrimque pugna accenderetur.

Sed ut ad librum tertium accedamus, de quo solo agemus, eum I. H. Voss celeberrimus poeta primus gravissimis usus argumentis adgressus est. Nam in calendario Musarum Gottingensi anno 1786 edito et accuratius postea in versione Tibulli (Tubingae 1810) demonstrare conatus est librum tertium Tibullo abiudicandum aliique poetae, quem Lygdamum Graecum nominat, esse tribuendum. Quam sententiam magna disputandi subtilitate propositam amplexi Eichstaedt Bach Passow Lachmann Oebecke Paldamus Dissen Gruppe Haupt Haase Teuffel Luc. Mueller alii tum novis argumentis fulserunt tum hic illic immutaverunt. Nec tamen defuerunt, qui Vossio eisque qui eum secuti sunt viris doctis oblocuti partes Tibulli quasi spoliati susciperent velut Wunderlich Spohn Huschke Golbéry.

Nec neglegenda sunt ea quae hi viri docti, ut opiniones suas firmarent, protulerunt, cum praesertim non pauca ab eis esse verius expedita et in viam rectam reducta negari nequeat. Iam post Golberium, qui quid de libri tertii sylloges Tibullianae auctore sentiret, commentationibus ‚de Tibulli vita et carminibus' editioni Parisiis 1826 adornatae subiunctis p. 419—494 et paulo post iracundius quam felicius dissertatiuncula ‚défense de Tibulle contre quelques savans, qui veulent le vieiller de 15 ans' inscripta Pari-

---

[1]) Publii Papinii Statii quae exstant. Caspar Barthius recensuit et animadversionibus locupletissimis illustravit. Cygneae 1664.

[2]) Heyne et qui eum secutus est Fuss ‚de elegiarum libro quem Lygdami esse putant quidam' p. 5 citant falso lib. II., v. 847.

siis 1826 exposuit, nemo, nisi egregie fallor, exstitit Tibulli defensor usque ad annum 1867, quo Fussii libellus ‚De elegiarum libro quem Lygdami esse putant quidam' prodiit Monasterii. Qui vir doctus librum tertium vere esse Tibullianum aliis etsi non persuasit, tamen pauca quaedam quae a Tibulli adversariis prolata erant argumenta aut infregit aut prorsus refellit. Ipse postquam de genere dicendi et de arte metrica corporis Tibulliani accuratius quaesivi, totam quaestionem retractavi, quam temptandam et Bernhardy in hist. Litt. Rom.[5] p. 615 et Guilelmus Studemund praeceptor meus sedulo commendaverunt.

Caput II.

Ac primum quidem in codicibus omnibus nec minus in ,excerptis' liber tertius Tibulli nomine circumfertur.

Quinque autem libri tertii carminibus (1. 2. 3. 4. 6) describitur Lygdami qui vocatur amor, quo Neaeram quandam amplectitur, quinta elegia continet epistolam a poeta aegroto ad amicos datam.

De qua elegia (III, 5) primum agamus, cum ex v. 17 et 18 huius carminis magna pars quaestionis recte instituendae pendeat. Scripsit autem poeta hanc elegiam vel epistolam ad amicos in aquis quibusdam Etruriae (5, 1. 29) degentes, dum ipse ex morbo graviter laborans iam praematuram mortem imminere putat. Precibus igitur deos implorat, ut sibi propitii parcant, qui nec sacrilegio neque alio scelere ullo mortem praematuram meruerit. Tum iterum amicos appellat eosque hortatur, ut pro salute sua diis inferis sacra faciant.

Quis fuerit poeta aegrotus, neque ex carmine ipso, in quo cum iuvenem se appellet (cf. v. 6. 15 sq. 19 sq.), nullum nomen proprium addit, neque aliunde scimus. Attamen usque ad hoc tempus ei, qui Tibullo librum tertium adsignant, sub illo aegroto poeta Tibullum latere putant, qui cum hac sententia discrepant, Lygdamum.

Ac primum quidem contra Tibullum huius carminis auctorem versus 17 et 18 clamare viri docti dudum adnotaverunt. Versus autem sunt hi:

Natalem primo nostrum videre parentes,
Cum cecidit fato consul uterque pari.[1])

---

[1]) In versibus citandis his usus sum editionibus:

T. Lucreti Cari de rerum natura libri sex. Carolus Lachmannus recensuit et emendavit. Berolini 1860.

Catulli Tibulli Propertii carmina recensuit et praefatus est Lucianus Mueller. Lipsiae 1870.

P. Vergilii Maronis opera recensuit Otto Ribbeck. Lipsiae 1859—68.

Q. Horatii Flacci carmina. Recognovit et praefatus est Lucianus Mueller. Lipsiae 1871.

P. Ovidii Nasonis carmina edidit Alexander Riese. Lipsiae 1871—74.

Poeta igitur anno illo, quo consul uterque pari fato cecidit i. e. anno ante Chr. nat. quadragesimo tertio natus est. Hoc enim anno bellum Mutinense exortum est, quo C. Vibius Pansa consul in proelio contra Antonium, qui Decimum Brutum Mutinae obsidione clauserat, facto vulneratus Bononiae obiit et A. Hirtius collega victor in proelio Mutinensi ipso interfectus est. Constat autem eundem esse eum annum, quo P. Ovidius Naso in lucem editus sit, qui iisdem verbis de se testetur Trist. IV, 10, 5. 6:

editus hinc ego sum; nec non ut tempora noris:
cum cecidit fatò consul uterque pari.

Iam quamquam nonnulli ex viris doctis illos versus alia interpretatione urguere conati sunt, tamen nihil protulerunt, quod probabile sit. Velut Golbéry scriptura

Natalem nostri primum videre parentes

‚ex libris' teste Lachmanno ‚paucis nec bonis' in contextum verborum recepta annum quadragesimum alterum intellegit. Boni autem codices eam praebent lectionem, quae nunc vulgo fertur *(natalem primo nostrum)*, ita ut Natalis sit deus. Porro Ayrmann cum pro *cecidit* vocabulo *cessit* substituendum esse coniecisset, rem ad annum quadragesimum nonum rettulit, quo L. Claudius Marcellus L. Cornelius cos., cum Caesar urbi adpropinquaret, Roma relicta Brundusium et inde ab hoc oppido in Graeciam recesserunt. Sed cur haec fuga *fatum* dicta esset a poeta, nec demonstravit nec demonstrare potuit. Nec maiore probabilitate commendatur Oebeckii coniectura, qui versum illum celeberrimum elegiae quintae refert ad annum octogesimum tertium, quo L. Cornelius Scipio C. Iunius Norbanus cos. vi atque dolo a C. Cornelio Sulla in Italiam reverso victi sunt. Contra quam opinationem cum alii dixerunt tum Dissen (de vita Tibulli p. XXIX sqq.) locupletissima argumenta congessit.

Versus igitur III, 5, 18, si liber tertius Tibullo tribuitur, huius annum natalem ad annum quadragesimum tertium refert. Sed Tibullus si illo anno natus fuisset, tredecim vel quattuordecim vel quindecim annorum iuvenis bello Aquitanico interfuisset et, ut ipse dicit in lib. I c. 7 v. 9:

Non sine mest tibi (i. e. Messallae) *partus honos*,

non sine gloria rem gessisset.

Porro Ovidius, ubi poetas elegiacos enumerat, Tibullum fuisse maiorem natu Propertio et hunc maiorem Ovidio ipso Trist. IV, 10, 51 sqq. tradit:

Vergilium vidi tantum; nec amara Tibullo
tempus amicitiae fata dedere meae.
successor fuit hic tibi, Galle: Propertius illi;
quartus ab his serie temporis ipse fui.

Denique legimus apud eundem (Trist. II, 463) Tibulli carmina iam tum fuisse nota, cum Augustus princeps nominaretur:

legiturque Tibullus
et placet, et iam te principe notus erat.

Iam cum Augustus anno vicesimo ante Chr. nat. et octavo primum *princeps senatus* salutaretur, nondum posita praetexta gloriam ac laudem sibi comparasset Tibullus elegiis.

His argumentis accedunt alia leviora [1]), quae omnia eo nos ducunt, ut Tibullum anno 43 natum esse non posse statuamus. Qua de re cum plurimis virorum doctorum conveniat, alii aliter rem expedire conati sunt. Pars enim pessima vel emendatione vel interpretatione versui 18 succurrunt, pars, in quibus sunt Spohn Fuss alii, Scaligerum Dousam Vulpium Broukhusium Heynium secuti cum interpolatum ex Ovidii loco supra laudato, ut lacuna expleretur, hunc versum putent, tollunt ut spurium. Sed si hoc modo corrigere volueris, non solum hic versus pentameter sed etiam hexameter atque totum distichon praecedens nec non insequens, quae eadem paululum variata apud Ovidium (cf. infra) occurrunt, removenda tibi erunt. Nulla tamen probabili causa hoc acre remedium probatur. Nam pentameter ille et in verborum contextu idoneum occupat locum neque sententiarum nexum ullo modo disturbat; utcunque autem epistolam interpretatus eris, verba illa non videbuntur aliena a sententia totius carminis. Qui legitur versus in Ovid. Trist. IV, 10, 6 eum spurium esse nemo umquam affirmare ausus est neque quisquam hanc in sententiam incidet.

Leguntur autem, ut iam supra leviter significavi, vv. 16.19.20

---

[1]) Cf. etiam Passow ‚De ordine temporum quo primi libri elegias scripsit Tibullus‘ (opusc. acad. Lips. 1835 no. 14 p. 280—300).

paene iidem apud Ovidium. Versus enim 16 quinti carminis cum hic sit:

Nec venit tardo curva senecta pede,

apud Ovidium exstat in A. A. lib. II v. 670:

iam veniet tacito curva senecta pede;

ac fere eodem modo versus 19 et 20 quintae elegiae:

Quid fraudare iuvat vitem crescentibus uvis
et modo nata mala vellere poma manu?

paulum mutati et ad abortionem detorti recurrunt in Ovidii Am. lib. II c. 14 v. 23 et 24:

quid plenam fraudas vitem crescentibus uvis
pomaque crudeli vellis acerba manu?

Ad quas repetitiones explicandas duae patent viae: nam cum appareat Tibullum Ovidii carmina, quae multo post Tibulli mortem edita essent, exscribere non potuisse, fieri potuit, ut aut is, qui elegiam quintam composuit, Ovidii versus in suum carmen transscriberet aut Ovidius ipse ex poeta ceterum ignoto surriperet.

Iam Ovidius ipse ab aequalibus natu minoribus magni se aestimatum esse testatur in Trist. IV, 10, 55:

utque ego maiores, sic me coluere minores,

neque est cur ponere dubitemus a multis eum imitatione expressum esse.

In carmine autem de quo verba facimus poeta diem natalem refert ad annum 43 simulque implorat deos, ut parcant iuveni (v. 6), cuius capilli nigri nondum laesi sint canitie (v. 15), qui se ipsum cum uvis crescentibus (v. 19) et malo modo nato (v. 20) comparat. Iam cum Ovidii Tristia, ex quibus versum illum notissimum deprompsisse Lygdamum putant quidam, inter annos 9 et 12 post Chr. (cf. Trist. V, 10, 1) scripta sint editaque a poeta relegato, statuamus necesse sit elegiam libri tertii corporis Tibulliani quintam post hoc tempus esse compositam. Fac tecum reputes auctorem a. 43 a. Chr. natum epistolam, in qua iterum atque iterum apertis verbis se iuvenem appellet, quinquaginta duos vel quinquaginta quinque annos natum scripsisse.[1]) Haec igitur inter-

[1]) Qua in re nullo modo urguenda est distinctio aetatis graduum a Varrone proposita, qui teste Censorino (de die natali cap. 14, 2) iuventutem a tricesimo uno usque ad quadragesimum quintum annum pertinere putavit.

pretatio, ex qua is qui carmen quintum composuit Ovidium putatur imitatus esse, minime probanda est. Quam ut probabiliorem redderet, Bolle in libello ‚De Lygdami carminibus' Detmoldae 1872 scripto demonstrare studuit, ‚in elaborandis carminibus poetam non tam describendum verum amorem et commovendam Neaeram sibi proposuisse quam phrases colligendas imitandumque Tibullum'; itaque omnia, quae legerentur in carminibus, et amorem Lygdami et epistolam ad amicos datam et annum natalem totumque sex elegiarum argumentum, esse efficta statuenda. Quae sententia cum ad ceteras praeter quintam libri tertii elegias aliqua verisimilitudinis specie adhiberi posse videatur, nullo modo quadrat in quintum carmen, de quo agimus, quoniam haec epistola certo ad amicos a poeta et scripta et data est. Nam nullo modo mihi persuadebitur, ut hanc epistolam, quae veritatem rerum ac sensuum apertissime prae se ferat, nihil aliud esse putem nisi tamquam exercitium rhetoricum cuiusdam discipuli, qui ut Tibullum imitaretur, hanc morbi fabulam excogitaverit. Itaque confidenter contendimus fideliter suum annum natalem tradidisse poetam carminis quinti.

Cum igitur veri non sit simile poetam aliquem de Ovidio hos versus servilem in modum deprompsisse, utrum Ovidius carmen alienum exscripserit necne exoritur quaestio. Quod ab Ovidio re vera factum esse plerique ex viris doctis hodie ita consentiunt, ut Lygdamum quendam poetam ceterum ignotum, qui eodem quo Ovidius anno natus fuerit, ab Ovidio servili modo expressum vel compilatum esse censeant. Sed si Ovidius hos versus imitando expressit, poetam carminis quinti unum vel ex intimis Ovidii amicis vel ex celeberrimis exemplis fuisse, quem praematuro ingenio praeditum Ovidius tanti aestimaret, ut eum non modo in carminibus iuvenili aetate pactis sed etiam cum relegatus versaretur Tomis, imitaretur, certo nobis est statuendum. Sane locus, qui exstat in Ov. Trist. IV, 10, 41 et 42:

temporis illius colui fovique poetas,
quotque aderant vates, rebar adesse deos

et ibid. v. 55:

utque ego maiores, sic me coluere minores,

qua pietate et quanto studio aequales poetas amplexus sit Naso et coluerit, luculenter demonstrant. Quem cum totum fuisse in Tibulli studio inter omnes constet, ne hunc quidem tam servilem atque

impudentem in modum excussit, quam nonnulli eum fecisse ex nostro carmine colligunt. Immo ubicumque simile aliquid fecit, habebat Ovidius, quod sequi amplectique vellet neque omittebat leviter significare, quid sibi vellent hae imitationes, cum aut poetam in proximis versibus nominaret aut artificium in re adumbranda adhiberet, quod peritis poeseos viris sufficeret. Quae res mihi certissima videtur, postquam Antonius Zingerle, quae fuerit Ovidii ars imitandi, libro copiosissimo et magna laude digno ‚Ovidius und sein Verhaeltniss zu den Vorgaengern und gleichzeitigen roemischen Dichtern' Oenoponti 1869—71 [1]) demonstravit. Ac ne ea quidem silentio praetermittam, quae leguntur apud Senec. suasor. III, 5 (ed. Kiessling): ‚Hoc autem dicebat Gallio Nasoni suo valde placuisse; itaque fecisse illum, quod in multis aliis versibus Vergilii fecerat, non subripiendi causa, sed palam mutuandi (*vulgo* imitandi), hoc animo ut vellet agnosci.' Exempli gratia conferas Ov. Trist. II, 447 sqq. = Tib. I, 6, 7 sqq.; Trist. II, 451 sq. = Tib. I, 6, 25 sq.; Trist. II, 458 = Tib. I, 6, 16; Am. III, 9, 33 · 34 = Tib. I, 3, 23—26; Am. III, 9, 49—52 = Tib. I, 3, 5—8; Trist. II, 534 = Verg. Aen. I, 1; ex Pont. IV, 16, 34 = Grat. cyneg. 23.

Sed cum Ovidius versum 18 c. 5 saepe citatum, quem eum ex Lygdami carmine deprompsisse credunt, ei elegiae inseruerit, qua mortuos auctores itemque amicos vivos grato pioque animo commemoravit, num verisimile est hoc loco, qui fuerit aptissimus, ut eius mentionem iniceret, cuius vestigia et in prioribus Amoribus et in hoc ipso carmine sequeretur, ab Ovidio amicum suum vel exemplum impio silentio praetermissum esse? Accedit quod repetitiones paulo variatae ad ipsum illud carmen quintum continuae inde a v. 16 referuntur (cf. supra). Quae cum ita sint, affirmare ausim ex eo, qui in elegia quinta nunc exstet contextu ordineque verborum, versus apud Ovidium occurrentes haustos esse. Nam cum nihil

[1]) Cf. imprimis p. 56 fasc. I: ‚Wie Ovid hier (bei den wörtlichen Entlehnungen) bewusst und zu jenem bestimmten Zweck tibullische Verse mit seinen eigenen verflochten hat, so kann es der spielende Dichter wohl auch noch öfter zu anderen Zwecken absichtlich gethan haben, wo es uns jetzt bei der ersten Lektüre nicht mehr so in's Auge fällt; wer weiss, ob er durch solche Anklänge nicht manchmal seine Gelehrsamkeit zeigen oder seinen Lesern eine kleine Ueberraschung bereiten wollte?'

habeat miri, si hae sententiae, quae in c. 5 continuae leguntur, depromptae ex ordine versuum inserebantur Ovidii locis, maxime dubito, num fieri potuerit, ut ex diversis Ovidii versibus contextus verborumque ordo, qui exstat nunc apud nostrum, confunderetur. Gravissimas denique res habet difficultates, si, quibus temporibus Ovidium has imitationes scripsisse putent viri docti, accuratius perpenderimus. Nam cum veri sit simillimum post amissam demum Messallae memoriam vel post eius mortem id est anno post Chr. n. septimo vel nono carmina, quae aliena legantur a Tibullo, corpori Tibulliano esse inserta, nescio an statuerint viri illi docti, Ovidium, cum Amores et Artem scriberet, carmina nondum edita imitatum esse atque compilasse, quae vel apud Messallam vel apud alium perlegisset. Quae coniectura nullo testimonio comprobatur.

Iam cum carmen quintum prius compositum esse quam scripta illa Ovidii, in quibus repetiti legantur aliquot versus, probabile sit et cum demonstrasse mihi videar Ovidium vix potuisse hos versus imitando ex Lygdamo aliquo poeta aequali exprimere, restat ut putemus Ovidium ipsum iuvenem carmen illud quintum pepigisse et se ipsum posteriore tempore compluribus locis exscripsisse. Quam sententiam cum iam olim Gruppe (Die roemische Elegie I p. 105—143) proposuisset, persuasit nemini. Immo cum alii oblocuti sunt tum Hertzberg [1]) hanc opinionem acerrime adgressus est. Neque infitias eo Gruppii argumentationem neque omnibus numeris absolutam esse et vera cum falsis miscuisse. Atque cum hoc loco primum de carmine quinto disputemus, Gruppe una cum plerisque ex viris doctis in eo videtur peccasse, quod conexum sententiarum inter carmen quintum ceterasque libri tertii elegias statuit, quem egomet invenire frustra temptavi. Gruppe quidem quid sentiret de carmine quinto, utrum id cum ceteris arte coniungeret annon dilucide non pronuntiavit, quamquam epistolae inscripsit ‚elegiam singularem‘ [2]) neque pluribus, quasi omnia essent clara et in aperto posita, rem persecutus est Dissen; sed Voss Spohn Golbéry Fuss alii omnia libri tertii carmina ad amorem, quo erant coniuncti inter se Lygdamus et Neaera, ita revocant, ut poetam, cum Neaeram alii viro vel amatori favere cognoverit, ob nimias amoris solli-

---

[1]) Cf. Hallische Jahrbuecher fuer deutsche Wissenschaft und Kunst II (1839) p. 1014—1026.

[2]) Cf. Die roemische Elegie II p. 66.

citudines aegrotum ad amicos, qui aquas Etruscas adiissent, scripsisse ponant. Quae sententiarum interpretatio minimos habet probabilitatis numeros. Nam si carmen quintum accuratius perlegeris, nihil in eo invenies, quod ad illum Neaerae amorem revocari possit; neque amatae puellae neque amatoris Lygdami nomina in epistola leguntur. Estne omnino verisimile poetam ex febri graviter laborantem et ex ea mortem metuentem ne tetigisse quidem uno verbo hunc amorem illamque puellam, quae causa esset morbi et paene mortis? Sequitur, si poeta carminis quinti et reliquarum libri tertii elegiarum idem est, ut epistola aut ante amorem, quo amplexus erat Lygdamus Neaeram, modo ut argumentum amoris sit verum, aut post eius finem scripta sit; sed etiamsi generis dicendi rationem non habueris, nihil impedit, quin quattuor prima libri tertii carmina et sextam elegiam ab alio auctore composita esse statuamus. Ovidium autem quintam elegiam composuisse probabiliter demonstrare conabor, ad quem et annus natalis et res metricae et genus dicendi et imprimis versus illi in eius carminibus repetiti non male quadrent.

Iam ut initium faciam ab anno Ovidii natalicio, Ovidium ipsum in Trist. IV, 10, 6 iisdem verbis, quae leguntur in c. 5 libri tertii sylloges Tibullianae, annum quadragesimum tertium significasse supra (p. 5) dixi.

Nihilo magis versuum rationes repugnant Ovidio auctori, cum neque trisyllabae vel polysyllabae pentametrorum clausulae neque asperae caesurae neque graves elisiones elegantiam Nasonianam laedant et etiamsi non aeque facilis et vividus atque in ceteris Ovidii carminibus numerorum rhythmus reperitur, haec res aliquid excusationis habet, quod poeta non, ut publici iuris faceret, sed ut amicis valetudinem nuntiaret, epistolam composuit.

Deinde ne a loquendi quidem usu Ovidius alienus est. Veluti quae invenitur in v. 3 particula *autem:*

Nunc autem sacris Baiarum proxima lymphis

cum apud Tibullum nusquam occurrat, exstat in Ov. Am. II, 2, 28. Heroid. III, 145. Met. IX, 143. 495. X, 345. XIV, 489; Propertius, quem, ut principum elegiae Romanae usum loquendi cognoscerem, in omnibus rebus grammaticis cum Tibullo et Ovidio comparavi, *autem* particula semel usus est III, 30, 29.

Porro vocabulum *olim* in v. 23 ad futura relatum, quod apud Tibullum lib. II c. 3 v. 29 et lib. II c. 5 v. 79 praeterita spectat,

eodem sensu futuro adhibitum exstat in Ovid. Am. III, 11, 7. Met. XV, 434. Fast. I, 517. 535. II, 241. IV, 123. Trist. II, 165. 182. 575. III, 1, 75. 8, 19. IV, 4, 47. V, 5, 61. Frag. VII, 3; in Propertii elegiis *olim* semper refertur ad praeterita (cf. I, 12, 7. 15, 10. 16, 1. 20, 17. II, 2, 13. 3, 35. 6, 3. 15. 33. IV, 17, 29. 24, 2. V, 1, 9).

Sed coniunctio in v. 28 quartum obtinet locum, apud Tibullum non nisi ter primo vocabulo enuntiati postposita est I, 7, 46. 8, 63. II, 4, 3, ceteris in locis legitimum locum occupat in enuntiati initio; in Propertii elegiis, nisi quid me fugit, semel tertio loco legitur III, 19, 26; apud Ovidium autem multo liberior est huius coniunctionis collocatio: exstat enim *sed* post primum enuntiati vocabulum: Am. II, 8, 2. 14, 41. (Heroid. XV, 189. XVII, 180. XVIII, 72. 109.) Met. III, 724. V, 350. VII, 559. VIII, 651. IX, 508. XI, 148. XII, 442. XIV, 476. Fast. II, 599. III, 112. 182. Trist. I, 3, 50. II, 81. 272. III, 2, 7. 7, 40. IV, 1, 66. 6, 43. Ib. 138. ex Pont. I, 7, 43. 8, 61. II, 2, 124. III, 1, 14. 125. 4, 103. 5, 11. IV. 8, 78; post secundum: Am. I, 5, 14. Heroid. XI, 106. Fast. IV, 83. V, 326. VI, 16. Trist. III, 12, 54. V, 1, 38. ex Pont. IV, 9, 124. 10, 11; post tertium: Am. III, 5, 8. (Heroid. XVI, 184.) Hal. 13.

Nequiquam adverbium (v. 27) cum nusquam in Tibulli carminibus inveniatur, saepissime legitur apud Ovidium: cf. Am. I, 6, 27. Fast. VI, 108. Met. II, 577. IV, 78. V, 33. 438. VIII, 818. IX, 564. X, 3. XI, 738. XII, 554. XIII, 869. XIV, 398. 765. 797. XV, 779; in Propertio bis exstat II, 4, 15 et IV, 16, 23.

Neque est hic praetermittendus usus gerundivi verbi *eundi*, quod Ovidius libentissime in paenultima pentametri sede adhibet [1]); apud Tibullum semel legitur *non adeunda* I, 6, 22, quod idem occurrit in carmine nostro v. 2; ex Ovidii carminibus hos excerpsi locos: *non adeunda* Fast. IV, 496. V, 374. VI, 412. 450. Ib. 476. Trist. I, 4, 18. 8, 38. III, 1, 70. 10, 76; *non adeunde* Fast. IV, 470; *vix adeunda* (Her. XVII, 8.) ex Pont. I, 8, 12; *vix obeunda* (Her. XV, 176;) *non redeunda* Ib. 372; *non subeunda* Trist. V, 6, 6; *praetereunda* Fast. VI, 418; *circueunda* A. A. III, 396.

---

[1]) Cf. Zingerle l. l. I p. 10.

Haec hactenus; de ceteris adeas, quae infra in capite nono de libri tertii colore rhetorico poeticaque dictione disputabo.

Sed maximam vim ad nostram quaestionem recte disceptandam versus illi in Ovidii carminibus repetiti habere videntur. Quem paene ludibundum [1]) versus adeo facile composuisse apud omnes constat, ut a nemine umquam superaretur. Quid mirum, quod in carminibus celerrime scriptis non raro eaedem sententiae ita repetuntur, ut saepius varientur singularive colore induantur? Neque igitur quidquam impedit, quin Ovidium, qui saepissime suos versus iterum in usum vocaverit (cf. A. A. I, 332 = Am. III, 12, 22. Trist. IV, 10, 7 sq. = Am. III, 15, 5 sq. Trist. IV, 10, 1 = Trist. III, 3, 73 et Am. III, 15, 1. Trist. III, 3, 74 = Am. II, 1, 2.), imaginem pulchram, quam versibus III, 5, 19 et 20:

Quid fraudare iuvat vitem crescentibus uvis
et modo nata mala vellere poma manu?

tam bene persecutus sit, posteriore tempore [2]) in Am. lib. II c. 14 v. 23 et 24:

quid plenam fraudas vitem crescentibus uvis
pomaque crudeli vellis acerba manu?

paucis mutatis repetiisse et ad rem obscenam petulanter detorsisse putemus. Quamquam doleas, quod tam belle fictos versus ad abortionem transtulit. Iam cum epistola quinta parvo amicorum coetui neque, ut prodiret in publicum, scripta esset, quid mirum quod poeta occasione data hos versus tam memorabili modo inseruit Amoribus suis? Nec secus, cum scriberet Artem amatoriam, rediit in animum poetae v. 16, eodemque modo in illo Tristium carmine, quo vitam suam fortunamque uberrime descripsit, versu facili ac faceto

cum cecidit fato consul uterque pari

iterum videbitur usus esse.

Quo in loco aegrotus fuerit Ovidius, cum audacter coniciendo assequi possimus, qui fuerint amici, ad quos elegiam vel epistolam dederit, ex carmine ipso concludere nobis licet. Hac in re recte

---

[1]) Cf. Ov. Trist. IV, 10, 25-26.

[2]) Nam elegiam quintam unam ex Ovidii vetustissimis esse, quas benigna fortuna nobis tradiderit, infra uberius demonstrabo.

disceptanda fere prorsus sententiam a Gruppio l. c. p. 140 sqq. propositam amplector. Omnes adhuc interpretes, nisi egregie fallor, amicos in *thermis* Etruriae, quibus abundabat haec pars Italiae [1]), versantes sibi finxerunt. Quas thermas adire solebant per hiemis et veris tempora Romani divites, sed per aestatem caniculariumque dierum calorem his relictis in agros ac montes recedere, de qua re ita ut Baias respiceret certiores nos fecit Martialis IV, 57, 5 sqq. (ed. Schneidewin):

Horrida sed fervent Nemeaei pectora monstri,
Nec satis est Baias igne calere suo:
Ergo sacri fontes et litora grata valete,
Nympharum pariter Nereïdumque domus.
Herculeos colles gelida vos vincite bruma,
Nunc Tiburtinis cedite frigoribus.

Haec interpretatio cum probabilis sit neque habeat quod offendat, necessaria non est. Prorsus enim eodem iure non thermas Etruriae sed aquas potius vel amnem quendam intellegas, quem amici adierint. In amnem autem vix minus mihi videntur quadrare et v. 30:

Et facilis lenta pellitur unda manu

et verba quae sunt in v. 1:

Etruscis manat quae fontibus unda

(quo in versu minimi aestimamus, quod quae exstat scriptura in nonnullis libris *montibus* a Vossio in verborum contextum recepta est). Si vero Baias poeta commemorat, non thermarum fontiumque sulphuratorum rationem habet, qui prope Baias sunt, sed hae aquae paene metonymice sunt dictae pro quolibet divitum Romanorum refugio.

Iam quaeritur qui fuerint a m i c i illi; suspicor Tibullum et Messallam intellegendos esse. Quamquam Ovidium paene adu-

---

[1]) Cf. Strab. V, 2, 9 p. 189, 2 (ed. Mueller et Duebner): *πολλὴ δὲ καὶ τῶν θερμῶν ὑδάτων ἀφθονία κατὰ τὴν Τυρρηνίαν τῷ πλησίον εἶναι τῆς Ῥώμης, οὐχ ἧττον εὐανδρεῖ τῶν ἐν Βαΐαις, ἃ διωνόμασται πολὺ πάντων μάλιστα.* Adeas Mannertii ‚Geographie der Griechen und Römer' tom. IX, 1. p. 351 sqq.

lescentem arta cum Tibullo consuetudine coniunctum fuisse testimonio illo clarissimo, quod exstat in Trist. lib. IV c. 10 v. 51 sq.:

nec amara Tibullo
tempus amicitiae fata dedere meae

certo non evincitur. A quo anno haec consuetudo initium ceperit, cum accuratius explorari nequeat, verisimillimum est eam paulo ante iter ab Ovidio per Graeciam et Asiam minorem factum initium cepisse, mox tamen Tibulli morte praematura esse interceptam. Quod si recte conieci, epistola illa fere anno a. Chr. vicesimo uno data est ad amicos, quo Naso iter ingressus est. Qui quamvis iam antea Tibullum cognitum haberet, inclinatio quaedam voluntatum post recitata demum carmina, quibus Corinnam celebravit Ovidius, viris criticis summa laude accepta i. e. post a. 22 facta videtur esse. Ovidius autem Romam rediit circa a. 18, quo Tibullo amico recens mortuo supremum officium honoremque daturus celeberrimum illud carmen lugubre (Am. III, 9) scripsit. Cum in multis aliis tum in nostro carmine secutus est amici exemplum Ovidius: conferas v. 26:

Et referam pueris tempora prisca senex

cum Tib. I, 10, 44:

Temporis et prisci facta referre senem.

Alia neque aeque valida sunt argumenta e. g. v. 8 = Tib. I, 6, 22 et v. 7 = Tib. I, 2, 81; eae enim sententiae omnibus elegiarum poetis communes erant.

Accedit quod inter Ovidii amicos erat poetae unus ex amicissimis M. Valerius Messalla Corvinus, celeberrimus dux et orator elegantiorumque litterarum bene intellegens, quod Ovidius ipse testatur, cum Messalino Messallae filio scribat haec in ep. ex Pont. I, 7, 27 sq.:

nec tuus est genitor nos infitiatus amicos,
hortator studii causaque faxque mei.

Messallae autem villam fuisse in agro Arretino prope fluvium quendam sitam docet epistolium Sulpiciae (Tib. IV c. 8) v. 3 sq.:

Dulcius urbe quid est? an villa sit apta puellae
Atque Arretino frigidus amnis agro?

Suspicor igitur hac in villa amicos, ad quos Ovidius epistolam dederit, et prope amnem a puella ‚frigidum' nominatum versatos fuisse. Sed qui sit iste fluvius, quaeritur. Atque Voss Dissen Gruppe quidem Arnum intellegunt et Dissen adnotat ad l. c. bene exstare in codice Thueano *Arnus* scripturam; quam tamen lectionem scholion esse nemo hodie ignorat. Arnum fluvium intellegi posse non nego; sed accedit aliud, quod ad aliam me ducat sententiam. Ovidius enim *Etruscam aquam* Fast. VI, 714 (c. 5, 1 *fontes Etrusci*) et *Tuscam aquam* Fast. I, 500. IV, 48. V, 628 (c. 5, 29 *Tuscam lympham*) et item *Tuscum flumen* Fast. IV, 294 constanter de Tiberi fluvio dixit.

Tiberim autem in agro Arretino profluere testatur Plin. nat. hist. III, 5 (9), 53: ‚Tiberis.... e media fere longitudine Appennini finibus Arretinorum profluit.' Itaque nihil impedit, quominus et amnem frigidum, quo loco *frigidum* adiectivum urguere nolis, cum puella omni urbanae luxuriae adsueta (*dulcius urbe quid est?*) loquatur, et Tuscam lympham esse eundem Tiberim putemus. Iam Tiberi — id quod de Arno fluvio nescimus — multas adiacuisse villas idem Plinius docet l. c. 54: ‚Tiberis.... pluribus prope solus quam ceteri in omnibus terris omnes adcolitur adspiciturque villis.' In Etruria autem etiam Plinius minor villam ad Tiberim sitam habebat, de qua ad Apollinarem amicum dedit haec ep. V, 6: ‚Est sane gravis et pestilens ora Tuscorum, quae per litus extenditur. Sed hi — Tusci mei — procul a mari recesserunt, quin etiam Appennino saluberrimo montium subiacent. Atque adeo, ut omnem pro me metum ponas, accipe temperiem caeli, regionis situm, villae amoenitatem.... Aestatis mira clementia.... Medios ille (Tiberis) agros secat, navium patiens, omnesque fruges devehit in urbem, hieme dumtaxat et vere; aestate submittitur, immensique fluminis nomen arenti alveo deserit, autumno resumit.' Quo ex loco compertum habemus ideo per aestivum canem non esse adeundum Tiberim, quod eo tempore exsiccetur.

In hac igitur regione sub Appennini radicibus suspicor sitam fuisse Messallae villam; ibi versari solitum esse per veris tempora Messallam una cum amicis, in quibus fuisse Tibullum Cerinthum pseudonymum Sulpiciam alios; ad hunc coetum Ovidium aegrotum quintum carmen dedisse et postea hanc epistolam in Tibulli scrinia venisse; qua de re infra pluribus dicam.

Caput III.

Quoniam elegiam libri tertii quintam Ovidio ita adtribuimus, ut non multum nobis remaneat dubitationis, iam quaestio exsistit, utrum reliquorum libri tertii carminum auctor esse possit Tibullus necne. Equidem nego, etiamsi quis dicat adulescentis Tibulli esse opus. Iam quanti aestimandae sint elegiae illae, inter se dissentiunt viri docti, cum difficile sit certa et omnibus aeque probata artis poeticae praecepta ponere et cum iis poetarum opera comparare; recte enim Cicero in Orat. c. 11, 36: ‚In omni re', inquit, ‚difficillimum est formam, qui χαρακτὴρ Graece dicitur, exponere optimi, quod aliud aliis videtur optimum. Ennio delector, ait quispiam, quod non discedit a communi more verborum; Pacuvio, inquit alius, omnes apud hunc ornati elaboratique sunt versus, multa apud alterum neglegentius; fac alium Accio: Varia enim sunt iudicia, ut in Graecis, nec facilis explicatio, quae forma maxime excellat.'

Itaque Voss, cui poesi subactum iudicium tribuere cogimur, cum paene omnia vituperet, perpauca laudat; nec minus invehitur in poetastrum Eichstaedt, qui his utitur verbis: ‚Quisquis fuerit auctor, exigua ei fuit ingenii dos, minor iudicii, dicendi autem ea infantia, qua fere laborare videmus tirones, qui exemplorum praestantia moti, optima quidem sequuntur, sed per virium tenuitatem non assequuntur'. Contra Gruppe, qui non minus in hac re iudicium habet, elegiis illis artificiosum contineri opus putat et multa laude dignum ac permagni aestimandum.

Teuffel autem cum in sylloge quae inscribitur ‚Pauly's Realencyclopaedie des klassischen Alterthums' VI, 2 p. 1950 (1852) haec scripserit: ‚Die Arbeit macht dem Verfasser durch Frische und Wärme der Empfindung und anmuthige Leichtigkeit des Versbaus keine Schande', multo severius iudicat de poeta in ‚Studien und Charakteristiken' p. 378 sqq. Et ipse Bernhardy in litter. Rom. hist. poetae videtur favere.

Quod si elegias, de quibus agitur, accurate perlegeris, poetam esse paene adulescentem et qui vix labris primoribus artem poeticam tetigerit, facile nobiscum consenties, tali tamen ingenio prae-

ditum, quod si bene cultum fuerit, spem bonae frugis daturum sit. Non ex quovis ligno fit Apollo. Iam Tibullum iuvenem eius modi carmina scribere vix ac ne vix quidem potuisse concedet, qui haec consideraverit: Ruris amor et agrestis vitae dulcisque otii desiderium cum in compluribus poetis Augusto aequalibus fervidum fuerit, in nullo tam erat ardens tantaque cum vitae urbanae et publicae contemptione coniunctum quam in Tibullo. Cui ruris amori ubi puellarum amorem addideris, Tibullianae poesis fere summam effeceris.[1]) Describit enim negotia rustica, religiones rerum agrestium, deorum festos dies, simplicitatem auream, et tamquam filum compositionis per omnia carmina interlucent teneri et beati amoris affectus, ad quos tandem omnia revocantur. Similia frustra quaeras in libro tertio; de cuius argumento optime iudicavit Voss in versione Tibulli p. XV praef. haec: ‚Der Liebhaber der Neaera singt sein trockenes: Ich liebe, und werde verschmäht; ich will sterben. Wo ist frische Lebendigkeit in der Ausführung? Wo die warmen, mit Sinn ausgehobenen Züge der treuen Sehnsucht, des heimlichen Verständnisses, der erfindsamen List: durch welche Tibull, begünstiget oder verdrängt, seine Liebe weniger erklärt als darstellt? Wo nur ein Laut jenes dem Tibull eigenen Gefühls für Ländlichkeit, für der Ackerer und Hirten unschuldiges Verkehr, für die Feste der Landgötter, für die alterthümlichen Laren des Vaterhauses, für die einfachen Erbstücke der Familie, für seine an Jugenderinnerungen reiche Flur, und was die Messrute der Soldaten ihm entfremdete? Selbst wo dringender Anlass war, der Neaera die nach der Verehlichung sie erwartenden Landfreuden zu schildern, giebt ihr Sänger in der dritten Elegie nur Gemeinsprüche über die Nichtigkeit reicher Besizungen an Marmorpalast, einträglichem Gefilde, Gold, Perlen und Purpur, und schliesst mit dem kahlen Ausruf (III, 3, 23—24):

Mir sei arm haushalten mit dir ein Behagen, Neaera.
Ohne dich wären mir auch Königeswürden verhasst.‘

Quantum igitur ab hoc distat Tibullus vitae rusticae laetorumque amorum praeco indefessus! Quae ingenii indoles iam in primis carminibus a Tibullo compositis perspicue apparet. Qui

[1]) Mitto enim Marathum, cuius amor ad eam de qua agitur rem nullius fere momenti est.

amor rerum rusticarum cum sit quasi fundamentum poesis Tibullianae, in primo opere non modo non deesset, sed multo magis se ostentaret. An censebimus Tibullum hunc ruris amorem tamquam vestem deposuisse, cum quinque illa carmina componeret? Sed etiamsi elegias illas posteriore tempore scriptas esse statueris, quae sententia paene nullam habet probabilitatem, ne sic quidem causa a nobis prolata refutari poterit.

Denique absurda est sententia nonnullis viris doctis velúti Vulpio Huschkio Bauero accepta, qui poetam in primo et secundo libris suos cecinisse amores, in tertio autem alienos Neaerae et Lygdami ignes celebrasse putant. Plurimi sane interpretes ex illis quinque libri tertii carminibus veram amoris fabulam componunt, quo Neaera et Lygdamus coniuncti fuerint: Neaeram enim perfidam virum vel sponsum deseruisse, qui his carminibus acriter a se amatam mulierem recuperare voluerit. In qua coniectura, ut unum afferam, magna pars Gruppii sententiae posita esse mihi videtur. Sed tota amoris fabula, quamvis tristis sit amatoris imago, nescio an ficticiam prae se ferat speciem elegiaeque III, 1.2.3.4.6 ab adulescente, qui ipse rhetorum scholas frequentet vel vixdum egressus sit, compositae sint. Poetam autem adulescentem admodum esse summa, qua elegiae illae insignes sunt, decentia videtur significare, quae certo inter operis iuvenilis notas est numeranda. Sane in omnibus monumentis Latinis, quae res amatorias tractant, vix tanta morum castitas invenitur, quanta in illis. Neque enim Tibulli aut Propertii aut Ovidii elegiae amatoriae significationibus voluptatum rerumque veneriarum carent. Nec tamen hae causae solae contra Tibullum proferri possunt; accedunt aliae et multo graviores, de quibus iam verba facturus sum.

Ac primum n o m i n a p r o p r i a, quae leguntur in libro tertio examinemus: Lygdamum habes in c. 2 v. 29, Neaeram 1, 6. 23. 2, 12. 29. 3, 1.23. 4, 57.60. 6, 29. Iam Neaeram quandam a Tibullo amatam carminibusque celebratam esse nullis testimoniis confirmatur.[1] Scimus Tibullum trium puellarum amore captum fuisse: Deliae Nemesis Glycerae.

Ovidius cum Am. III, 9, 31 sq. (*sic Nemesis longum, sic Delia nomen habebunt, altera cura recens, altera primus amor*) Deliam fuisse primam Tibulli amicam testetur, Nemesim ultimam

[1]) Concedo non magis hoc de Ovidio traditum esse.

ibid. v. 55 sqq. (*Delia descendens ‚felicius', inquit, ‚amata sum tibi: vixisti, dum tuus ignis eram.' Cui Nemesis ‚quid' ait ‚tibi sunt mea damna dolori? me tenuit moriens deficiente manu'*), eas certo affert puellas, quae Tibullum ad carmina componenda maxime inflammaverant. Nam aliis praeter has amicis operam se dedisse ipse Tibullus fatetur I, 5, 39 (*Saepe aliam tenui*). Neque igitur quidquam impedit, quin inter Deliam et Nemesim Neaera quaedam ipsa Tibulli amica fuerit; sane quidem erat inter eas posita Glycera, quam Horatius carm. I, 33 commemoravit:

Albi, ne doleas plus nimio memor
Inmitis Glycerae, neu miserabiles
Decantes elegos, cur tibi iunior
Laesa praeniteat fide.

Sed missa Neaera quaeramus, quis iam sit ‚Lygdamus'. Tibullum sub subditicio nomine latere suspicantur defensores Tibulli, sed valde huic suspicioni est repugnandum. Nam si quis nomen verum mutat cum falso et ficto, cum certa causa permotus esse soleat, hanc frustra quaeras apud Tibullum. Immo adulescentis vel pueri videtur esse, incertum nomen substituere, qui primis carminibus vim expertus non ausus sit ea vero nomine addito ad virum criticum mittere; Tibullus autem inde a Deliae amore verum nomen elegiis inseruit (cf. I, 3, 55. 9, 83. IV, 13, 13).

Omitto pluribus demonstrare condicionem statumque vitae, quae describuntur in libri tertii elegiis, aliena esse a Tibullo.

Sed complures ex viris doctis velut Spohn Dietrich Golbéry alii ultra progressi Neaeram et ipsam Glyceram eandem esse ac Deliam statuerunt; Fuss autem cum hoc loco a Spohnio, quem ceteris in rebus sequi solet, discedat, omissa Glycera, quam cum Nemesi comparat, Neaeram solam eandem esse ac Deliam demonstrare studet. Et ipse Glyceram in argumentatione mea missam faciam, cum non sit hic locus disserendi de ea.

Aedificium a Fussio aliisque viris doctis artificiose exstructum labefit, cum Deliae et Neaerae nominibus non eadem syllabarum mensura efficiatur, quasi alterum pro altero substitui possit. Quam legem fictorum nominum ab Acrone ad Hor. serm. I, 2, 64 et a Bentleio ad Hor. carm. II, 12, 13 explicatam quamquam in maximum Horatii puellarum numerum non cadere constat (ex quibus

pleraeque sunt mera cogitatione fictae [1]), in Catulli Tibulli Propertii amicis observatam esse locupletissimum Apuleii in apol. c. 10 (ed. G. Krueger) docet testimonium: ‚Accusant C. Catullum, quod Lesbiam pro Clodia nominarit, et Ticidam similiter, quod, quae Metella erat, Perillam scripserit, et Propertium, qui Cynthiam dicat, Hostiam [2]) dissimulet, et Tibullum, quod ei sit Plania in animo, Delia in versu.' Itaque *Plania* quidem pro *Deliae* nomine substitui potuit, non *Neaera;* neque feliciter contra disputavit Fuss. Sed ut haec res inaudita concedatur viris doctis: quo modo Neaeram eandem esse ac Deliam demonstrant! Hoc loco prorsus mihi repugnandum est Fussii sententiae, qui ex elegiis libri tertii, quae Neaeram quandam celebrant, et ex iis libri primi carminibus, quorum argumentum in Delia laudanda positum est, amorum fabulam hoc ordine dispositam construxit: I, 1 . 3 . 5. III, 4 . 2 . 3 (hae tres libri tertii elegiae una cum prima mittuntur Neaerae kalendis Martiis) (5 . 6). I, 2 . 6. Sed si quis carmina hoc ordine disposita semel perlegerit, quam dissimile veri hoc artificium sit, facile cognoscet.

In amore Tibulli et Deliae ne minima quidem naturae mollitia invenitur, sed voluptati adeo dedita est Delia, ut postremo ne meretricium quidem quaestum respuerit. Contra Neaera secundum libri tertii carmina ex castissimis Romae puellis videtur fuisse; nam ne minimum quidem in carminibus legitur, quod ad amoris voluptates revocari possit. Delia ab amatoribus aurum gemmasque flagitat, Neaeram multo modestiorem fingit poeta III, 1, 7 et 8:

---

1) Cf. Ph. Buttmann, Ueber das Geschichtliche und die Anspielungen im Horaz (Mythol. I p. 297—346).

2) Guilelmus Studemund praeceptor meus in scholis Argentorati de Propertio habitis ficticia puellarum nomina ideo eandem quam genuina nomina syllabarum mensuram habere dixit, quia in primis, quae ad ipsas puellas olim scripsissent carminibus poetae non ficticiis sed genuinis sine dubio nominibus usi essent; errare autem eos viros doctos, qui in posterioribus quoque et publici iuris factis carminibus genuina nomina a poetis scripta esse censerent in eis exemplaribus, quae poetae ipsis puellis obtulissent: contradicere enim Hostiae nomen in Propertii elegiis; nam in uno libro primo Propertiano quominus *Hostia* pro *Cynthia* substitueretur prohibere horum locorum numeros: I, 4, 19.25; 5, 31; 8, 42; 11, 1.23.26; (12, 20); 15, 2; 17, 5; 18, 5.6.31; 19, 1.15.21, ne foede hiaret poetae oratio.

Carmine formosae, pretio capiuntur avarae:
Gaudeat, ut dignast, versibus illa meis!,

cum ei libellum carminibus suis refertum festis kalendis donet.

Sed fac Fussium rectam viam ingressum demonstrasse Deliam eandem esse ac Neaeram, quod demonstrari nequit, qua ratione porro probari potest, carmina libri tertii elegiasque libri primi non uno et eodem tempore simul esse edita? Quae hac de re vir doctus disputat, ne minimam quidem probabilitatem habent neque verius est, quod in p. 53 libelli scribit: ‚Summam felicitatem Tibullus, dum Plania innupta erat, in vita iucunde cum ea ruri transigenda ponebat' pergitque ‚sed quomodo Planiam alii viro addictam vel nuptam ad vitae rusticae societatem invitare potuerit?'

Hanc coniecturam refutat elegia secunda libri primi auctore Fussio post libri tertii carmina scripta, in qua vividis coloribus magnoque amore res rusticae vitaque ruri transigenda describuntur. Lygdamus cum dicat se non optare divitias opesque atque paupertatem sibi gratam esse, tamen eum iuvat vitam lautiorem, honores post mortem habendos, librum quem ad Neaeram mittit, vestem Apollinis, alia quam uberrime describere, quae omnia urbanum hominem urbisque luxuriam, non simplicitatem Tibullianam videntur significare. Omnino liber tertius prorsus aliam indolem spirat ac Tibulli elegiae: ubique deprehenditur homo urbanus et in delicata luxuriosaque urbe Roma adultus, qui rus eiusque amoenitates non nisi auditas videtur habere. Poeta igitur cum longe distet a Tibullo (cf. II, 3, 2 *ferreus est, heu heu, quisquis in urbe manet*) simile fere sentit Sulpiciae, quae ad Messallam haec verba (Tib. IV, 8, 1 sqq.) scripsit:

Invisus natalis adest, qui r u r e m o l e s t o
Et sine Cerintho tristis agendus erit.
D u l c i u s u r b e q u i d e s t?

Nec praetermittendam esse sententiam puto, quam in c. 3 v. 20 pronuntiat Lygdamus:

falso plurima volgus amat,

quam et ipsam frustra quaeras apud Tibullum. Nam ex his verbis facile concludes eum qui scripserit librum tertium, esse honestiore et nobiliore loco natum, qui homines inferioris ordinis aut parvi aestimet aut prorsus contemnat. Quo in contemptu consentit noster

cum non paucis poetis Augusto aequalibus Hor. carm. II, 16, 39 sq. III, 1, 1. Verg. Catal. XI, 64, nec diutius, ut eiusmodi sententias reperias, apud Ovidium quaeres. Sed haec hactenus.

Iam longum est omnia recensere artificia quae Spohn aliique adhibuerunt, ut carmina libri tertii Tibullo servarent. Omitto coniecturam viri doctissimi, qui cum Delium deum in c. 4. v. 79 commemoratum referat ad Deliam puellam, hoc nomine Tibulli amicam significatam esse putat. Neque probabilius Passow adnotavit nomen Lygdami [1]) Albii praenominis versione ortum videri, quamvis utriusque vocabuli prosodia non contradicat.

Illa argumenta cum sola sufficiant ad librum tertium Tibullo abiudicandum, restant alia et imprimis ars metrica et genus dicendi libri tertii a Tibullo non mediocriter aliena, quae hoc loco praetermittere non licet.

---

[1]) Nomen Lygdami legitur praeter librum, de quo agitur, tertium apud Prop. IV, 5, 2.11.19.24.31.36.42. V, 7, 35. 8, 37.68.70.79. Lucan. Phars. III, 710 et quinquies in inscriptionibus, cf. C. I. N. n. 961.1506.2383 g. 6310 (130) et in G. Wilmannsi Exemplis inscript. Latin. (Berol. 1873) nr. 412 (tom. I p. 133).

Caput IV.

Ac primum quidem quam brevissime de arte metrica libri tertii agamus. De qua quamquam in universum recte Lucianus Mueller exposuit, cum in indice grammatico editioni Tibullianae adnexo p. 62 Lygdamum plane eiusdem artis metricae ac Tibullum esse doceret, tamen in singulis dissentiunt.

Adeas mecum, si placet, clausulas pentametrorum. Inter omnes constat, praestantissimum quemque elegiacorum poetarum Romanorum id laborasse, ut iambicis plerumque verbis pentametri clauderentur. Quod quantam habuerit difficultatem, apparet ex Catullo, Propertii primis libris, aliis, qui penuria vocabulorum idoneorum coacti saepissime vocibus plus duarum syllabarum pentametros finiverunt.

Catullus igitur, ut historiam versus pentametri usque ad Ovidium brevissime enarrem, prorsus vestigia poetarum elegiacorum Graecorum premit, apud quos usus polysyllabarum vocum ut in hexametrorum ita in pentametrorum clausulis erat tritus et pervulgatus nec habuit, quod eorum aures offenderet. De qua re conferas tabulam ab Hultgreno (Observ. metric. in poetas elegiacos Graecos et Latinos. pars prior. in programmate gymnasii Nicol. Lipsiensis 1871) propositam. Ut unum afferam, Catullus ter et octogies pentametrum anapaestica voce, quae clausula postea durissima Romanis esse videbatur, clausit nec saepius quam centies vicies ter legitimus finis bisyllabus apud eum legitur.

Eandem rationem in versibus pentametris pangendis videtur secutus esse Licinius Calvus, ex cuius quattuor, qui exstant, pentametris duo vocabulo trisyllabo clauduntur (cf. L. Mueller Catull. p. 86).

Accuratius hunc versum perpolivit Tibullus, cum luculenter operam daret, ut vocibus disyllabis pentametros clauderet. Iam apud eum in primo secundoque libris et in libri quarti tertia decima et quarta decima elegiis — ceterorum enim libri quarti carminum, cum non inter omnes constet, num vere Tibulliana sint, rationem non habeo — ut durissimam clausulam afferam, viginti quat-

tuor pentametri anapaesticis vocibus finiuntur: I, 1, 50.72. 3, 30.32. 5, 62.72. 6, 34. 7, 16.36. 9, 4. 10, 14.66. II, 1, 8.60.66. 3, 40. 4, 48. 5, 16.40.68. 6, 20.32.34. IV, 13, 22.

Apud Propertium perspicue discrimen inter priores libros et librum quartum cum quinto cernitur. Nam in libro primo fere a. ante Chr. n. 27 publici iuris facto pentametri et trisyllabis et tetrasyllabis et pentasyllabis vocabulis terminantur nec ab hac versuum condendorum ratione alieni sunt libri alter et tertius, qui inter annos 23 et 22 videntur editi esse. Contra in libris posterioribus, ut iambicis aut pyrrhichiacis vocibus versus claudat, quam maxime poeta operam dat, qua in re, si recte suspicor, Ovidii auctoritas deprehenditur. Quo factum est, ut in posterioribus Propertii libris post a. ante Chr. n. 22 editis anapaestica, de qua sola agimus, clausula ita sit vitata, ut inter 976 pentametros non exstet nisi bis IV, 12, 30. V, 2, 38 itemque plus trium syllabarum clausulae non saepius quam septiesdecies (IV, 2, 28. 3, 10. 6, 22. 10, 72. 11, 30. 12, 24. 13, 2.8. 18, 10. 20, 28. 22, 20. 23, 20. V, 1, 64. 2, 34. 4, 76. 5, 8. 28), sed plerumque in nominibus propriis vel Graecis, quae leges saepissime migrare constat.

At neque Tibullus neque Propertius ad eam elegantiam progressus est, quam in Ovidio admiramur, cuius in limatioribus carminibus — dico Heroidas, Amores, De medicamine faciei librum, Artem amatoriam, Remedia amoris, Fastos — non amplius sexies (Her. XIV, 62. XV, 184. XVI, 16. XVIII, 202. Fast. V, 582. VI, 660) in spuriis versibus vel epistolis et in extremis Fastorum libris non prorsus perpolitis pentametri vocabulis plus duarum syllabarum finiuntur. Elegiarum autem, quas relegatus poeta composuit, non ut laudem ac gloriam versibus sibi pararet sed ut Augusti iram placaret Tiberiumque ad misericordiam deduceret, etiam ars metrica multo neglegentior est, id quod Ovidius ipse non ignoravit (cf. Trist. IV, 1, 1 sq. I, 11, 35 ex Pont. III, 9, 7 al.). Sed durissima clausula anapaestica ne in hac quidem tristi condicione saepius quam sexies a poeta adhibita est in epistolis ex Ponto datis (cf. ex Pont. I, 1, 66. 8, 20.40. III, 5, 40. 6, 46. IV, 9, 26) et in tot milibus versuum plus trium syllabarum voces non plures legis quam 42 in pentametrorum clausulis tetrasyllabas: Trist. I, 3, 6. 4, 20. 10, 34. II, 232. 416. III, 5, 40. 9, 2. 10, 4. IV, 10, 2. V, 6, 30. Ib. 518. ex Pont. II, 2, 6.70.76. 3, 18. 5, 26. 9, 42. III, 1, 166. IV, 2, 10. 3, 54. 5, 24. 6,

6.14. 8, 62. 9, 48.80. 13, 28.46. 14, 4.18.56. 15, 26; pentasyllabas: Trist. II, 212.294.430.514. IV, 5, 24. ex Pont. I, 2, 68. II, 9, 20. IV, 3, 12. 13, 44; hexasyllabam: Ib. 506. Cf. annal. philol. 1874, p. 569.

Hanc legem Ovidianam, si licet hoc nomine uti, etiam ii, qui Priapea scripserunt, amplexi sunt, cum praeter unum locum 82, 6 (Petronii satirae et liber Priapeorum iterum ed. Buecheler, Berol. 1871), quod Priapeum in libris scriptis Tibulli nomine circumfertur, nusquam pentameter anapaestico vocabulo nec plus quam septies polysyllabis vocibus finiatur (cf. 1, 2. 38, 4. 49, 4. 60, 2. 62, 2. 68, 8. 84, 4).

Abhorrent autem ab Ovidii elegantia Catalepta Vergilii, quae inter 160 pentametros, si Copam addideris, praeter tetrasyllabas et polysyllabas voces 24 clausulas anapaesticas exhibent: I, 4, 6. VI, 6.10. XI, 4.20.44.46.48.56.58.64. XII, 4. XIII, 2.10. XIV, 4. Cop. 4.16.20.22.26.30.32.38.

Iam inseramus Lygdamum, qui appellatur, poetis, quos modo illustravimus. Quem cum constet elegias Augusti temporibus scripsisse, quaeritur, num ut in aliis rebus sic etiam in clausulis pentametrorum pangendis propius ad artem Tibulli accedat. Quodsi utriusque poetae elegias comparaveris, in Tibulli 26 fere pentametris singulos invenies anapaestica voce clausos, apud Lygdamum autem unus eiusmodi versus inter 48 pentametros exstat (III, 2, 4. 6, 10. 48).

Non aequo discrimine illi poetae in adhibendis tetrasyllabis et pentasyllabis vocabulis inter se differunt, cum clausula occurrat tetrasyllaba: I, 1, 38.54. 2, 54.84. 3, 58.82. 4, 62. 5, 32.36. 7, 10.32. 8, 6.24. II, 1, 18.36. 4, 44. 5, 44.64.80.92. III, 1, 20. 2, 24. 4, 30. 6, 8.14; pentasyllaba: I, 2, 42. 4, 84; III, 4, 56.94.

Sed missis pentametris addam hoc loco, quae de clausulis hexametrorum habeo, quarum sex sunt legitimae species.[1]) Ex quibus quod tertia semel apud Tibullum I, 4, 63, nusquam in libro

---

[1]) Cf. Catull. ed. L. Mueller praef. p. LXVII; sunt autem hae:

In nova fert animus mutatas dicere | *formas*
Est domus alta. iacent penitus defossa | *talenta*
Cum loquor una mihi peccatur littera; | *nam* | *te*
Nam neque Parnasi vobis iuga | *nam* | *neque* | *Pindi*
Arma virumque cano Troiae qui primus | *ab* | *oris*
Cederet aut quarta socialiter. | *hic* | *et* | *in* | *Atti.*

tertio occurrit, mirum non est; sed ne quarta quidem forma, quam quaterdecies apud Tibullum adhibitam invenies (I, 2, 41. 3, 5.23. 6, 33.57. 9, 11.21.75. 10, 5. II, 4, 51. 5, 61. 6, 3. 7, 27), in libro tertio usquam legitur; qua in re Lygdamus, quem vocant, simillimus est Ovidio, qui quarta specie in elegiacis carminibus non usus est nisi his locis: Am. I, 4, 67. II, 13, 5. 17, 21. Heroid. III, 111. IV, 123. VI, 3. VII, 37. VIII, 117. X, 27.75. XIII, 35. XVII, 7. A. A. I, 317. II, 615. III, 309. Remed. 809. Fast. II, 415. III, 407. IV, 377. V, 437. VI, 591. Trist. I, 2, 57. 8, 47. II, 123.287. III, 10, 69. IV, 10, 127. V, 10, 27. ex Pont. I, 3, 33. II, 3, 17. 7, 37. 9, 7. IV, 16, 3; saepius autem eiusmodi versus in Metamorphoseon libris exstant cf. I, 556.606.756. II, 521. III, 266.359.456. IV, 555. V, 152.214. VI, 47.352.374.497. VII, 172.340.646.738. VIII, 70. IX, 404. X, 310.547.614.645.664.728. XI, 451.720. 751. XII, 276.312.480.549. XIII, 379.547.818. XIV, 761. XV, 83.496; adde Hal. 34.35. Frag. VII, 1 (Riese).

Quinquies denique Tibullus finem hexametri ita formavit, ut arsis quinti pedis vocabulo pyrrhichiaco efficeretur praecedente spondiaco vel anapaestico (I, 6, 1.63. II, 4, 45.59. 5, 111. [IV, 1, 28.107.108.168.194.205]), quam formam et ipsam frustra quaeras apud Lygdamum; eadem in Ovidii carminibus non plus semel exstat (Hal. 11).

In vocalium elisione eandem atque adeo maiorem Tibullo diligentiam adhibet Lygdamus. Quae enim apud hunc eliduntur vocales maximam partem breves sunt nec in his durior ulla synaloephe admissa est. Semel quidem longa syllaba cum brevi coit III, 4, 49 *Quare ego* in arsi primi pedis, sed hanc elisionem ipsam praeoccupavit Tibullus nec ab ea alienus est Ovidius: cf. Tib. I, 2, 89. II, 1, 41 (IV, 1, 175); Ov. Am. I, 2, 11. 4, 3. 6, 19.37. 7, 11. 12, 27. 15, 41. II, 2, 47. 7, 12. 10, 3. 12, 25. 17, 29. III, 1, 66. 4, 13. 11, 9.11.17. Her. I, 11.115. 7, 19. 12, 91. 13, 113.115. 16, 135. 17, 183. 18, 81. et cet. (omnes locos congessit Haupt observ. critic. p. 22 sq.). Monosyllaba autem cum nusquam elidantur a Lygdamo, saepius hoc fit apud Tibullum (cf. I, 2, 56.58. 4, 56. 6, 59.61. II, 1, 69. 3, 5.61. IV, 13, 19); apud Ovidium monosyllaba synaloephen non patiuntur nisi quinquies et quadragies, cf. Iulius Schultz ‚Beiträge zur lateinischen Metrik‘ (Programm des städtischen Gymnasiums zu Danzig 1872) p. 12 et 13.

Omnes synaloephas recensere cum longum sit, hoc unum liceat monere, non recte L. Muellerum in Tib. praef. p. XXX scripsisse: ‚Nec vero pyrrichiaca eadem littera (*m*) finita synaloepham patiuntur insequente correpta vel acuta', nam eiusmodi elisiones cum nusquam in libro tertio reperiantur, apud Tibullum I, 5, 1. 5 (adde IV, 6, 5) leguntur.

De ceteris quae de hexametri caesuris animaduertenda sunt, adeas L. Muellerum (Tib. praef. p. XXIX) et M. Krafftium (De artibus quas Tibullus et Lygdamus in versibus concinnandis adhibuerunt, Halis 1874).

Ut hoc addam, Tibullus duodecies semiseptenariae genus ita adhibuit, ut trithemimeres non addita sit (I, 1, 35. 2, 25. 63. 7, 61. 8, 7. 10, 37. II, 1, 35. 3, 25. 71. 5, 11. 6, 29. IV, 6, 13), qua in re a Lygdami et Ovidii usu abhorret (cfr. Eichner, Bemerkungen über den metrischen und rhythmischen Bau, sowie über den Gebrauch der Homoeoteleuta in den Distichen des Catull, Tibull, Properz und Ovid, Gnesen 1875, p. 9).

Postremo de dactylorum et spondeorum per hexametros pentametrosque mixtorum ratione acturus sum. Cuiusmodi quaestiones cum abhinc paucis annis a viris doctis institui coeptae sint, non ea quam res desiderabat diligentia tractatae sunt. Nam quos numeros affert Hultgren l. c. p. 17—21 in tabulis X et XI et XII, quibus de distichis Tibulli agitur, ei maximam partem falsi sunt. Accedit quod Hultgren Teuffelium secutus perversum ordinem carminum Tibullianorum constituit. Qua re commotus has novas tabellas accurate confeci, in quibus carmina praeter minores elegias libri quarti suspicione non carentes eo temporis ordine, quo a Tibullo ipso scripta esse puto, disposita reperies.

Formae:	Lib. I, 4.9.8.10 = 157 hexametri.		Lib. I, 1.2, 65 sq. 3. 2, 1 sq. 6.5.7 = 249 hexam.		Lib. II. lib. IV, 13. 14. = 229 hexam.		Lib. III = 145 hexam.	
dsss	26	16,6	52	21,0	34	14,9	27	18,6
dsds	23	14,6	37	14,9	34	14,9	9	6,2
dssd	10	6,4	17	6,8	22	9,6	8	5,5
dsdd	6	3,8	14	5,6	20	8,7	4	2,8
ddss	15	9,6	38	15,3	33	14,4	15	10,3
ddds	11	7,0	24	9,6	20	8,7	9	6,2
ddsd	12	7,6	12	4,8	12	5,2	7	4,8
dddd	3	1,9	5	2,0	9	3,9	2	1,4
sdss	11	7,0	9	3,6	13	5,7	17	11,8
sdds	10	6,4	9	3,6	9	3,9	11	7,6
sdsd	6	3,8	4	1,6	9	3,9	7	4,8
sddd	1	0,6	2	0,8	2	0,9	1	0,7
ssss	5	3,2	11	4,4	4	1,8	15	10,3
ssds	13	8,3	10	4,0	5	2,2	8	5,5
sssd	5	3,2	3	1,2	2	0,9	4	2,8
ssdd	0	0	2	0,8	1	0,4	1	0,7
	157	100	249	100	229	100	145	100
Principia dactylica	106	67,6	199	79,9	184	80,3	81	55,8
„ spondiaca	51	32,4	50	20,1	45	19,7	64	44,2
Summa dactylorum	285	42,2	464	46,6	468	51,1	229	39,5
„ spondeorum	343	57,8	532	53,4	448	48,9	351	60,5
Versus dactylici	33	21,0	57	22,9	63	27,5	23	15,9
Versus spondiaci	60	38,2	85	34,1	58	25,3	71	49,0
Versus aequi	64	40,8	107	43,0	108	47,2	51	35,1.
	157	100	249	100	229	100	145	100

En, tabulae ipsae loquuntur. Si accuratius quartam columnam cum tribus prioribus comparaveris, apud Tibullum praevalere in hexametris dactylum tibi persuadebis, quo numeri et acriores et vehementiores fiant. Sed apud ipsum Tibullum inde a primis carminibus perspicue progressus in versibus pangendis apparet, cum quo iunior poeta elegias scripserit, eo maior exstet numerus spondeorum, arte autem erudita in hexametris dactylus crebrior fiat.

Eandemque rationem rhythmus pentametrorum obtinet, in quo is qui librum tertium sylloges Tibullianae scripsit ab elegantia et

facilitate Tibulli non minus diversus est. Quam rem ut accuratius perspicias, hanc tabellam propono, cui ea adnexui, quae de clausulis huius versus supra fusius exposita sunt.

Formae prioris partis pentametri.	Lib. I, 4.9.3.10 = 157 pent.		Lib. I, 1.2, 65 sq. 3. 2, 1 sq. 6. 5.7 = 248 pent.		Lib. II, lib. IV, 13.14 = 229 pent.		Lib. III. = 145 pent.	
ds	98	62,4	143	57,7	144	62,9	62	42,7
dd	32	20,4	62	25,0	44	19,2	23	15,9
sd	8	5,1	11	4,4	9	3,9	22	15,2
ss	19	12,1	32	12,9	32	14,0	38	26,2
Principia dactylica	130	82,8	205	82,7	188	82,1	85	58,6
„ spondiaca	27	17,2	43	17,3	41	17,9	60	41,4
Summa dactylorum	170	54,1	278	56,0	241	52,6	130	44,8
„ spondeorum	144	45,9	218	44,0	217	47,4	160	55,2
Versus dactylici	138	87,9	216	87,1	197	86,0	107	73,8
„ aequi	19	12,1	32	12,9	32	14,0	38	26,2
	157	100	248	100	229	100	145	100
Clausulae trisyllab.	3	1,9	9	3,6	12	5,2	3	2,1
„ polysyll.	4	2,5	11	4,4	7	3,1	7	4,8

Sed de his rebus hactenus. Iam ad genus dicendi utriusque poetae illustrandum transeamus.

Caput V.

De genere dicendi cum Lachmann in adnotatione libro tertio editionis praemissa complura contra Tibullum, quem hunc librum scripsisse putabant, congessisset, pauca post eum viri docti addiderunt. Haec omnia ita percensebo, ut nonnulla, quae ipse conquisivi, adnectam. Omitto affere, quae Fuss p. 67 et 68 cum de *mundi* vocabulo et de *dum, quod, ubi* particulis disputaret, feliciter contra Lachmannum defendit. Sed ut in loquendi usu poetarum elegiacorum illustrando recte iudicemus, ea constanter addam, quae apud Propertium et Ovidium leguntur.

Primum igitur, ut de exclamationibus brevissime agam, Lygdamus formulam exsecrantis exhibet *a pereat* 4, 62, Tibullus autem *o pereat* I, 1, 51. II, 4, 27 adde IV, 3, 6, uterque ita, ut omnes codices has scripturas commendent. Qui versus in antiquis editionibus legitur in lib. II c. 3 v. 75:

Ah pereant artes et mollia iura colendi,

eum spurium esse dudum constat. In Propertii elegiis repperi *a peream* III, 18, 15; *a pereat* I, 6, 12. 17, 13. III, 31, 27; *a pereant* I, 11, 30. III, 17, 12, quae ultima formula quater apud Ovidium exstat: A. A. III, 494. II, 272. Fast. IV, 240.241. Quae interiectio saepius apud Tibullum legitur et cum orationi vigorem ardoremque tribuat, poetae in deliciis videtur fuisse, *heu* et *heu heu* (*heu* I, 4, 57. 5, 67. 8, 23.41. II, 3, 78. 4, 35; *heu heu* I, 4, 81. 6, 10. II, 5, 108. 3, 49. IV, 13, 17), ea nusquam in libro tertio occurrit. In Propertii libris cum *heu* identidem reperiatur (cf. I, 1, 38. 4, 22. II, 5, 8. III, 3, 15. 13, 16. IV, 14, 6. V, 1, 94: 3, 17. 7, 21. 10, 27), nusquam legitur *heu heu* [1]), pro qua geminata interiectione Ovidius maluit *eheu*

---

[1]) Baehrens (Analect. Catull. p. 64) ad Cat. LXXVII, 5 et 6 adnotat: ‚Valde dubito, num forma ‚*heuheu*‘ antiqua sit...., utroque versu ipsis codicibus ducibus ‚*eheu*‘ restituendum est‘ cf. L. Mueller. ad Tib. I, 4, 81 (praef. p. XIX).

usurpare Met. III, 495.496. Fast. IV, 406. ex Pont. II, 10, 30; simplex autem forma *heu* rarius in Nasonis carminibus amatoriis, paulo saepius in ceteris poetae libris legitur: cf. Am. I, 6, 22.46. 14, 24. II, 4, 6. III, 8, 18. Her. I, 68. II, 48. IV, 150. V, 120. IX, 153. XI, 15. XIII, 162. XV, 109. XVII, 180. A. A. I, 751. Remed. 306. Fast. II, 408.812. IV, 520. V, 465. VI, 437. Trist. II, 180. III, 1, 8. 4, 52. 10, 76. IV, 1, 86. 5, 10. V, 4, 4. Ib. 22. ex Pont. IV, 4, 48. Met. II, 447.612. III, 229.500. IV, 153. VI, 273. VIII, 85. XI, 562.720. XII, 498. XIII, 51. XV, 88.

Deinde accuratius de coniunctionum apud Lygdamum usu quaeramus. Ac primum quidem ex coniunctionibus copulativis *ac* particulam hic non adhibuit, legitur autem *ac* apud Tibullum I, 5, 72 ante consonantem, quod in Ovidii iuvenilibus limatioribusque carminibus item semel Her. XI, 104 fit; in ceteris autem scriptis et in iis, quae a relegato poeta composita sunt, saepius habes *ac* ante consonantes exceptis *c g qu* litteris collocatum: cf. Fast. III, 525. IV, 377. VI, 537. Trist. I, 8, 15. II, 149. IV, 3, 13. V, 4, 47. 13, 29. ex Pont. IV, 11, 16. Hal. 97.117. Met. I, 279.281. II, 96. III, 29.43. IV, 406.430. V, 374. VI, 397. VII, 640. VIII, 517.682.751. IX, 369. X, 559.577. XI, 12.20.75. XII, 44. XIV, 61.400. XV, 24.150.523. Apud Propertium *ac* quater ante consonantes admissum inveni II, 4, 3. III, 7, 51. IV, 14, 31. 9, 13 nec tamen nisi in formulis quae sunt *ac veluti, ac primum.*

Adicio hoc loco pauca de usu particulae *atque* in elegiacis carminibus occurrentis. Quae particula apud Lygdamum saepius repetitur, semel ante consonantem 4, 72, ceteris locis 1, 13.22. 2, 22.28 ante vocales posita. In Tibulli elegiis *atque* ter ante consonantes legi I, 7, 27. II, 2, 8. 5, 73; ante vocales hisce in versibus: I, 5, 34.49. 6, 58. 10, 23.. II, 1, 65. 4, 47. 5, 73. IV, 13, 5. Contra in Ovidii carminibus, quae lima polita sunt, uno loco excepto A. A. II, 91, quo *atque* consonantem praecedit, haec particula semper ante vocales occurrit: cf. Am. I, 1, 4. 12, 6. 13, 19. II, 1, 7. 2, 32. 7, 11. 10, 37. 17, 5. III, 1, 20.52. 2, 6. 3, 32. 5, 18. 6, 53.80. 9, 64. 15, 11. Her. I, 31.93. II, 83. III, 60. VI, 76.101. VII, 8. X, 27. XV, 73.134.144. XVII, 96.115.165. XVIII, 169. XIX, 176. ep. Sapph. 19.86.94.121.

A. A. I, 12.129.174.219.322.566.573.648. II, 244.314.502. 620.623.626. III, 282.289.341.716. Remed. 124.309.466.668. Quibus carminibus ultima lima deest, Metamorphoseon libri et elegiae a relegato Nasone scriptae saepius *atque* ita, ut consonantem praecedat, usurpatum praebent: cf. Met. I, 604. V, 645. VII, 489.535. XI, 674. Trist. IV, 2, 69. 4, 85. V, 1, 63. 2, 74. 13, 34. ex Pont. II, 9, 60. Hal. 17.26.57, adde Fast. III, 363; in fine versus hanc coniunctionem (praeter Vergil. Aen. XII, 355 et 615) semel legi Trist. II, 145 monet L. Mueller (de r. m. p. 240), quo tamen loco Riese codicum vestigia secutus optime scripturam *usque* exhibet. In Propertii elegiis *atque* particula ter consonantibus praeponitur III, 21, 8. IV, 12, 39. V, 2, 52; in ceteris locis ante vocales exstat: cf. I, 6, 14. 7, 3.6. 8, 13. 9, 8. 11, 9. II, 3, 36. 9, 39.47. III, 5, 27. 6, 15. 7, 25. 8, 19.22. 12, 13. 13, 31. 20, 46. 27, 16.21. 29, 7. 30, 36. 31, 3. 32, 35. IV, 4, 12.23. 8, 26. 12, 59. 16, 42. 17, 19. 21, 34. V, 1, 3.36. 2, 54. 4, 11.80. 5, 69. 8, 24.67.73.87. 9, 41. 11, 83.

Et copulam Tibullus multo liberius solutiusque quam Lygdamus collocat; nam apud illum coniunctio copulativa secundo loco apparet his in versibus: I, 1, 61.62.77. 2, 6.37.68.69 (bis). 4, 5.6.61. 5, 55.58. 6, 41.48. 7, 12.15.21.38.39.41.51.54. 8, 20.21. 10, 30.44.58.68. II, 1, 30.32.55.64. 2, 9.22. 3, 10.22.45.56. 4, 56. 5, 85; tertio loco: I, 3, 82. 9, 16. II, 5, 66.98; quarto: I, 2, 96. Apud Lygdamum autem *et* copulam non habes nisi post primum enuntiati vocabulum insertam his locis: 1, 10. 2, 3. 4, 34. 6, 3 — *et* legitur in primo secundoque libris ducenties, in libro tertio quinquies et quadragies —. Apud Ovidium *et* cum in Metamorphoseon libris nusquam alium locum quam proprium obtineat (cf. Haupt obs. crit. p. 51 sqq.), in ceteris carminibus interdum postponitur, maxime post primum vocabulum; laudat Haupt l. c. Am. I, 3, 10. 4, 55. 9, 22.44. II, 1, 32. 9, 10. III, 10, 32. 12, 18 Her. I, 32. II, 67. IX, 118. XI, 16. A. A. I, 60. II, 330.676. III, 360.438. Remed. 216, quibus addas A. A. I, 64. III, 677; post alteram vocem copulam legi Am. II, 10, 36. A. A. III, 378. In Heroidibus, quas inde a decimo quinto carmine Haupt spurias putat, copula postponitur XV, 26.122.236. XVII, 36. XVIII, 110.114.160. De usu ceterorum carminum Hauptium l. c. adeas. Quam rationem Propertius in postponenda copula secutus sit, idem Haupt l. c. p. 49 sqq.

tendit; is igitur liberiorem vocabuli collocationem, quam ...ravimus, saepissime adhibet. Nam *et* post primam vocem collocavit (addidi exempla ab Hauptio neglecta): I, 1, 12.32. 2, 11. 3, 3. 6, 22. 13, 6. 15, 16.30. 16, 12.22..32. 17, 20.22. 18, 22. 19, 12.23. 20, 28. II, 1, 22.63. 2, 9. 4, 16. 8[b], 19. 20.32. 9, 7. III, 3, 6. 4, 4.12. 7, 34. 8, 30. 9, 14. 10, 14. 11, 2. 15, 42. 17, 10.14. 18, 8. 20, 7.13. 22, 17. 23, 3.7.14. 24, 4.28. 27, 27. 28, 21. 31, 40. 32, 8.37.56.62.70. IV, 2, 12. 4, 24.34.38. 5, 18.33. 7, 2. 8, 22.33.52.53. 9, 6.20.30. 10, 25.26.44. 11, 2. 12, 8.37. 13, 6.17. 17, 10. 21, 18. 23, 10. V, 1, 24.46.86.132. 3, 10.32.37.38.41.55.66. 5, 28. 7, 26. 90. 8, 60.85. 9, 14.26.29.49. 11, 25.34.58.86; post alteram: I, 1, 27. 4, 15. III, 20, 48. 26, 16.

Iam agamus de *nec* et *neque* formarum usu. Ac *neque* quidem, quae forma apud Tib. I, 1, 64 ante vocalem et I, 2, 77 ante consonantem exstat, in libro tertio non occurrit; in Propertii elegiis rarius invenitur ante consonantes posita II, 1, 39. III, 24, 5. IV, 1, 57. V, 8, 43.75. 11, 41, saepius ante vocales I, 1, 36. 6, 2. 8[b], 41. 12, 19 (bis). 14, 19. 18, 26. 20, 14. III, 7, 43. 8, 51. 12, 5. 23, 12 (bis). 27, 26. IV, 12, 61. 13, 28. V, 1, 103. 4, 89. 10, 21. Similiter has formas Ovidius adhibet, cuius in Amoribus *neque* ter consonantes praecedit II, 2, 29. 17, 31. III, 7, 60, quinquies vocales I, 2, 2. 11, 2. 13, 42. II, 11, 51. 14, 35. Ceteris in Ovidii carminibus formam *neque* ante consonantes positam duodequadragies, ante vocales quater et tricies legi, Lygdamus autem semper *nec* formam eamque consonantibus praefixam usurpavit: cf. 2, 7. 3, 29 (bis). 30. 4, 1.15.16.19.26.51. 52.60.61.69.70.83.84.85.86.87.90.91. 5, 9.10.11.12.13.16. 6, 19.35.36.45.55. Sed Tibullus *nec* et ante consonantes et ante vocales positum exhibet; ante consonantes his locis: I, 1, 26. 29.9.37.72. 2, 23.24.25.41.64.77.78. 3, 39.89. 4, 21.47. 49.62. 5, 67. 6, 31.68.75. 7, 26. 8, 3 (bis). 4.16.27.29.58. 70. 9, 23.59.65.73. 10, 7.11. II, 1, 71. 2, 13.15. 3, 9.12.13. 4, 13 (bis). 17.34.42.44. 5, 21.93. 6, 43. IV, 13, 3; ante vocales his: I, 1, 38.71. 2, 93. 3, 47. 6, 45.69. 8, 32. II, 4, 43.45. Propertius autem et Naso *nec* formam ante vocales ponere fere noluerunt; itaque in Propertii elegiis coniunctionem hoc modo usurpatam non repperi nisi quinquies: II, 4, 19. III, 22, 33. IV, 2, 42. 8, 8. V, 11, 41; ex Ovidii Amoribus hos locos

excerpsi: I, 4, 9.11.36. 14, 9.17. II, 2, 55. III, 6, 56. 10, 7, nec frequentior est idem usus in ceteris carminibus, in quibus *nec* forma consonantem praecedens multo frequentior est. Ut pauca addam, *nec* ita positum, ut post primum enuntiati vocabulum et initio quidem alterius pentametri partis collocatum sit, semel in libro tertio corporis Tibulliani occurrit in c. 4 v. 26:

Aetas, heroum nec tulit ulla domus.

Simile aliquid frustra apud Tibullum quaeres, cum semel ita *nec* collocetur in Propertii lib. I c. 11 v. 16; sed cum hoc usu plane Ovidius consentit: cf. Am. III, 2, 24. A. A. II, 730. Trist. III, 2, 12. ex P. I, 9, 16. IV, 4, 10.

Praeterea Lygdamus a Tibullo eo distat, quod cum in primo secundoque Albii libris nec minus in libri quarti carminibus inde a secunda elegia (quamquam de eorum poeta nihil certi constat) in enuntiatis disiunctivis constanter *seu-seu*, nusquam *sive-sive* aut *sive-seu* legatur (cf. I, 1, 11. 2, 17.33. 10, 21. II, 4, 5. 6, 3. IV, 2, 9.10.11.12. 3, 1.2), contra Lygdamus praeter unum locum 1, 6, ubi *seu-seu* exstat, constanter *sive-sive* (cf. III, 1, 26. 3, 14. 4, 11) adhibet; in c. 5 v. 32, quam epistolam Ovidii esse demonstravimus, *sive-seu* occurrit. Apud Propertium et Ovidium huiusmodi discrimen non apparet: *seu-seu* Prop. I, 6, 31.33. 11, 25. III, 23, 5. IV, 7, 13 sqq.; Ov. Am. II, 4, 41 sqq. Remed. 378. Fast. II, 81 sq. 677. III, 123 sq. V, 557 sq. VI, 433 sq. Trist. I, 2, 87 sqq. ex P. III, 3, 3 sqq. IV, 15, 35. Met. IV, 519. VIII, 25 sq. X, 603 sqq. XIV, 26 sq. 123. *sive-sive* Prop. I, 20, 7 sqq. II, 3, 43. 9, 36. III, 14, 20. 20, 10. 32, 82. IV, 7, 24. 12, 46; Ov. Her. I, 15 sq. III, 153 sq. XIII, 162. ep. Sapph. 81 sqq. Am. II, 4, 11 sqq. A. A. I, 309 sq. 405 sqq. II, 59 sqq. 297 sqq. III, 334. Remed. 165 sqq. Fast. I, 633 sq. II, 641. III, 153 sq. 405. V, 683 sqq. Trist. I, 10, 3 sq. III, 8, 6. 10, 51 sq. 12, 39. IV, 10, 131. V, 3, 13. 4, 44. 7, 43 sqq. Ib. 143 sqq. ex Pont. I, 2, 53 sq. 3, 31. IV, 2, 31 sqq. Met. I, 78 sqq. III, 46 sqq. 670 sq. IX, 712 sq. XI, 121 sqq. XIV, 20 sq. XV, 342 sqq. Longum est multos quos excerpsi locos addere, qui *sive-seu* et *seu-sive* praebent.

Porro contra Tibulli morem liber tertius 6, 47 coniunctionem ieiuniorem magisque prosae orationis propriam *etsi* exhibet. Priores

autem Tibulli editores in versuum rhythmo peccaverunt, cum scriberent lib. I c. 9 v. 3:

A miser, etsi quis primo periuria celat,

quod vitium ita correxit L. Mueller:

A miser, et siquis primo periuria celat;

nam in secunda sede hexametri pentametrive Tibulliani nusquam vocabulum dactylicum aut spondiacum invenitur. Nec tamen ab Ovidiano usu illam coniunctionem concessivam aeque alienam esse hi docent loci: Am. III, 14, 50. A. A. III, 753. Met. II, 322. III, 238. IV, 317, nec prorsus ab ea Propertius abhorret, apud quem duo exempla II, 2, 16. III, 12, 1 inveni.

Sed accedunt alia in libro tertio, quae non esse Tibulliana repperi. Veluti *quamvis* a Lygdamo 6, 29 cum indicativo, a Tibullo I, 4, 41.43. 6, 67. 8, 15 constanter cum coniunctivo iungitur. Utramque constructionem sine ullo discrimine et Propertius et Ovidius admittunt. Addo locos, quibus *quamvis* indicativo modo adnexum legi: Prop. I, 18, 13. II, 8^b, 27. IV, 18, 28. III, 19, 21.22; Ov. Her. III, 8. IV, 173. VII, 27. IX, 92. XIII, 117. XVII, 50.99. XVIII, 194. Am. I, 15, 14. II, 1, 28. 5, 60. III, 4, 23. 6, 47. 13, 5. 14, 14. Med. 41. A. A. II, 213. III, 325. Remed. 213.491.519. Fast. II, 485.777. III, 69.393. IV, 515. VI, 324.763. Trist. I, 1, 25.116. 2, 11. II, 183.555. III, 3, 79.83. 7, 9. IV, 1, 35. 2, 26. 10, 113. V, 5, 13. 7, 6.31. 9, 25. ex P. I, 1, 15. 2, 3.29. 6, 45. II, 2, 44.99. 8, 76. III, 2, 95. IV, 6, 31. Met. I, 685. II, 177.568.782. III, 170. IV, 256.269. V, 580.581. VI, 12.490. VIII, 56.805. IX, 125.471.485.540.541. XI, 87.225.718.761. XII, 312. XIII, 462.882. XV, 599.

Adiungam nonnulla de *ergo* et *quare* coniunctionibus conclusivis. *Ergo* ter (III, 2, 9. 4, 75. 6, 51) in primo enuntiato apud Lygdamum, nusquam in Tibulli libris legi. Nonnusquam hoc vocabulum in Propertii elegiis repperi cf. I, 1, 15. II, 8, 13. III, 8, 15. IV, 6, 1. 20, 15. 21, 17. 23, 1, saepissime apud Ovidium cf. Her. X, 119. XV, 43. XVI, 135. XVII, 183. Am. I, 4, 3. 6, 37. 7, 11. 12, 27. 15, 41. II, 7, 1. III, 11, 9.11. A. A. I, 213.343.455.565.657. II, 143.489. Remed. 135.289.399. 485. Fast. I, 311.451. II, 17. III, 119.787. IV, 83. Trist.

I, 1, 87. 2, 17. 6, 17. 9, 63. II, 87.543. III, 2, 1. 3, 25. 7, 19.31. 9, 19. 10, 15.77. 11, 63. IV, 2, 19. 4, 43. 8, 37. 10, 115. V, 8, 33. ex Pont. I, 2, 127. II, 11, 19. III, 3, 105. 7, 7. IV, 4, 23. 14, 17.19. 16, 47. Met. I, 177.434. II, 105.640. III, 279.370. IV, 222.380. V, 504. VI, 719. VII, 51. VIII, 494.627. IX, 182.513. X, 437. XI, 224. XII, 35. XIII, 61.159.171. XV, 173. *Quare* coniunctio, de qua accuratissime egit Haupt observ. crit. p. 13, apud Lygdamum 4, 49 exstat, deest in Tibulli elegiis; sexies occurrit apud Propertium I, 5, 31. 9, 33. 19, 25. III, 8, 7.55. 18, 9. Apud Ovidium, qui *quare* in recta interrogatione et in indirecta saepius exhibet, — locos omnes congessit Haupt — haec coniunctio pro eo quod est ‚propterea' non legitur; hac igitur una in re Lygdami usus loquendi ab Ovidio videtur discrepare.

Adicio *etenim* coniunctionem causalem apud Lygdamum 1, 14 non apud Tibullum reperiri. Ut Propertius II, 7, 17 et III, 1, 25, sic etiam Ovidius nonnusquam hanc vocem adhibet cf. Met. XIV, 695. Trist. III, 3, 77. ex Pont. III, 7, 13.

Tamen particula in libro tertio bis in fine pentametri posita est (1, 6. 6, 56), a qua collocatione alienus est Tibullus cf. I, 4, 54. 6, 2.56.66. 9, 4. II, 6, 14. 3, 36; consentit cum Lygdamo Propertius in lib. I c. 15 v. 32 et II, 8^b, 28, quem eundem usum saepius amplexus est Ovidius, cf. Her. XIX, 44. A. A. I, 228. 478.664.700. Remed. 440. Fast. II, 688. Trist. I, 5, 82. V, 13, 16. ex Pont. I, 8, 30. IV, 8, 2.

Suspicionis causam etiam *postquam* attulit, quae coniunctio in Tibulli elegiis II, 5, 19.107 praesenti et perfecto temporibus, apud Lygdamum 4, 41 plusquamperfecto iungitur. Quo Lygdami loco quamquam metri rationes non obstant, quin *fuerunt e* vocali correpta scribamus, quales formae in Tibulliano corpore leguntur II, 5, 79. IV, 5, 4 nec non apud Prop. II, 3, 25. 8, 10. Ov. Am. III, 5, 2. Met. VI, 585.617. X, 55. Hor. epod. IX, 17. sat. I, 10, 45. ep. I, 4, 7. Verg. Aen. II, 774 (cf. L. Mueller d. r. m. p. 365. 398), tamen omnium codicum memoriam *fuerant* vix est cur corrigamus.

Postquam autem coniunctionem plusquamperfecto tempori adnexam semel in Propertii elegiis (V, 9, 63), quater apud Ovidium (Her. X, 46. Remed. 473. Met. VIII, 866. Trist. IV, 4, 69) repperi.

Iamdudum, quod adverbium, Lygd. 6, 63 exstat, nec aqud Tibullum nec apud Propertium, saepius praeter Amores in Ovidii carminibus usurpatur: cf. Her. XV, 13. XVIII, 118. XIX, 80. A. A. I, 317. II, 457. III, 679. Met. II, 843. III, 656. IV, 405. VII, 677. 771. VIII, 74. 858. IX, 27. XI, 482. XIII, 456. Fast. III, 507. IV, 207.

Addo pauca de *fallendi* et *sinendi* verbis, quorum illo Tibullus constanter utitur absolute posito I, 2, 53. I, 8, 56. I, 9, 37, apud Lygdamum vero nusquam nisi casu adnexo profertur 4, 56. 62. 6, 12; *sinendi* autem verbum cum coniunctivo coniungitur in Tibulli elegiis I, 2, 25 et 4, 25, cum accusativo cum infinitivo in lib. III c. 4 v. 54. Propertius *sinendi* verbum non adiungit nisi infinitivo I, 2, 6. 5, 2. 6, 25. IV, 25, 8; omnes has constructiones praebet Ovidius sed ita, ut ea, qua ex illo verbo infinitivus pendet vel accusativus cum infinitivo, multo praeferatur (coniunctivo verbum his locis adiungitur Am. I, 4, 35. I, 8, 71. III, 14, 29. A. A. II, 555. Met. III, 377. Trist. I, 2, 62).

Oportet vocabulum commemoro non apud Tibullum sed apud Lygdamum 1, 14 reperiri, quod idem Propertius quater II, 4. 11. 8[b], 25. IV, 6, 72. V, 1, 70, paulo frequentius Ovidius adhibuit (cf. Her. I, 83. VI, 141. A. A. I, 699. Remed. 23. Met. VII, 729. Trist. I, 5, 51. ex Pont. III, 1, 6. 35. 144).

Superest ut de nonnullorum substantivorum et adiectivorum usu brevissime dicam. Memoratu nescio an dignum sit in libro tertio in c. 4 v. 67 *iuvencas* (apud Tibullum I, 1, 21 *iuvencos*) et III, 4, 90. 6, 15 *leaenas* (apud Tib. I, 4, 17 *leones*) exstare; utroque genere usus est Ovidius. Porro a Tibulli more, qui II, 2, 13 scripsit *orbis*, abhorret *orbis terrarum* in Lygdami c. 3 v. 30 admissus, quam dictionem apud Vergilium in Aen. I, 233 et apud Ovidium in epist. ex Pont. IV, 3, 43 invenies. Denique, qua efficitur clausula hexametri Lygdami in c. 6 v. 47, vox *ocellus*, quamquam poetae elegiaci eam in deliciis habent, a Tibullo nusquam usurpatur; quo vocabulo hexametrum clausum [1]) invenies apud Pro-

---

[1]) Cf. quae de certis vocabulis in hexametrorum clausula obviis commemoravit Guilelmus Studemund praeceptor meus in Philologi Gottingensis vol. XXXIV p. 153.

pertium I, 1, 1. 3, 33. 5, 11. 9, 27. 10, 7. 15, 33. 16, 31. 17, 11. 19, 5. II, 1, 11. 6, 29. III, 5, 1. 7, 7. 15, 7. 20, 47. 21, 13. 22, 21; apud Ovidium Am. I, 8, 37. 14, 37. II, 8, 15. 19, 19. III, 1, 33. 2, 83. 3, 9. 5, 1. 6, 57.79. 9, 49. Her. V, 45. XI, 35. A. A. I, 129. II, 453.691. Fast. III, 19.

Celeber quod adiectivum in libro III c. 2 v. 28 de fronte sepulcri dictum est, Tibullus semper ad homines revocat cf. II, 1, 83. II, 1, 33. IV, 4, 23, quod discrimen apud Ovidium non reperitur. Simili modo *immitis* adiectivum de hominibus et saepius ab Ovidio et semel a Lygdamo dictum non adhibuit Tibullus, qui ut illius vocis notionem significet, vocibus *barbarus* (II, 5, 48), *ferus* (II, 6, 5. I, 10, 2), *ferreus* (I, 2, 65. 10, 2. II, 3, 2), *crudelis* (I, 4, 35) utitur. Mirus autem usus adiectivi *tristis* apud utrumque poetam videtur esse; nam *tristis* in Tibulli elegiis vere ornans epitheton est, quod vocabulis, quibus aliquid tristitiae inest, additur. Recte enim Dissen ad I, 1, 62 *lacrimis tristibus*] adnotat ‚non inutili pleonasmo. Semper enim intenditur vis notionis, ubi quod inest in substantivo, etiam peculiari verbo expressum insuper iuxta ponas'; cuius rei exempla congessit haec: *miserae querellae* Ov. Met. II, 342; *maestae querellae* Tib. I, 8, 53; *maesti questus* Verg. Georg. IV, 515; *maesti luctus* Verg. Aen. XI, 38; *maesti fletus* Prop. I, 5, 15; *maestae exequiae* Tib. II, 4, 44. Addo *maesta funera* Ov. Fast. VI, 660; *tristia bella* Hor. A. P. 73; *tristia funera* Verg. Georg. IV, 256. Hor. ep. II, 2, 74 al. A Tibulli autem more diversus est Lygdamus, qui *tristis* adiectivo semper loco significantis epitheti utitur cfr. Lygd. 2, 27. 3, 35. 4, 42. Tib. I, 1, 62. I, 1, 50. I, 7, 43. II, 4, 3 (adde IV, 11, 3).

Priusquam has quaestiones de usu loquendi rebusque grammaticis institutas finiam, moneo Lygdamo complura adiectiva in deliciis fuisse, quae rarissime Tibullus adhibuerit; sunt autem haec: *candidus* 2, 10.18. 4, 34. 6, 1.30 (Tib. quater), *niger* 2, 10.18. 3, 37. 4, 17. 5, 5.15.33 (Tib. bis), *niveus* 1, 9. 2, 20. 3, 25. 4, 30.67. 5, 34. 6, 8 (Tib. sexies), *vanus* 4, 3.13.56.68. 5, 27. 6, 60 (Tib. semel); quae adiectiva omnia etiam apud Ovidium usitatissima sunt; Sed longum est omnia percensere quae in schedis adnotavi; nam ex iis, quae protuli, facile cognosces dicendi usum libri tertii ex parte prorsus alienum esse a Tibulli more. Simillimus autem Lygdamus est Ovidio, cum fere omnia, quae in libro tertio diversa a Tibullo exstant, exemplis Nasonianis probari pos-

sint; quod autem in unius *quare* vocabuli usu inter se distant, eius rei explicandae plures patent viae.

Iam utriusque poetae apparatum mythologicum perlustremus, ut appareat, num hac quoque in re discrimen aliquod inter Tibullum et eum, qui librum tertium scripsit, intercedat. In libris igitur Albii primo et secundo haec quadraginta nomina exstant, quae ad rem mythologicam deorumque apparatum spectant: Admetus, Aeneas, Amalthea, Amor, Aurora, Bacchus, Bellona, Cerberus, Ceres, Circe, Cupido, Danaus, Dictynna, Hecate, Herophile, Isis, Iuno, Iuppiter, Ixion, Latona, Lucifer, Luna, Mars, Medea, Minerva, Osiris, Pan, Peleus, Pelops, Phoebus Apollo, Python, Saturnus, Sibylla, Sol, Tantalus, Thetis, Tisiphone, Tityos, Venus, Volcanus. Ex his nominibus facile cognosces Tibulli apparatum mythologicum esse minimum, si cum eo Ovidium Propertiumque comparaveris. Nam quae fabulae nominaque carminibus inseruntur, inter omnes sunt notissima, nec Tibullum iuvat in illo campo, in quo doctrina et ingenium facile exsultant, fusius vagari. Quo fit, ut in omnibus eius elegiis simplicitas quaedam appareat, quae a splendore fabularum Propertiorum et Ovidiorum longe abest. Lygdamum autem fabulis nominibusque mythologicis delectari ex magno numero eorum, quae sola apud eum nec eadem in Tibulli carminibus occurrunt, elucet: Chimaera, Cynthius, Cypria, Delius, Dis, Fortuna, Latonia, Lucina, Lyaeus, Minois, Orcus, Persephone, Saturnia, Scylla, Semele. Atque memoratu dignum est Lygdamum non scribere: Apollinem, Dianam, Hecaten, Bacchum, Iunonem, ut scripsit Tibullus, sed hic illic Cynthium, Delium; Latoniam; Lucinam (cf. Dissen ad III, 4, 13); Lyaeum; Saturniam, quae nomina omnia apud Ovidium[1]) saepissime leguntur.

---

[1]) ***Cynthius*** **A. A. II, 239. Fast. III, 346.353.** ***Delius*** **Met. I, 454. V, 329. VI, 250. XI, 174. XII, 598. XIII, 650.** ***Latonia*** **Met. I, 695. VIII, 394.542.** ***Lucina*** **Her. VI, 122. XI, 55. A. A. III, 785. Met. V, 304. IX, 294.698. X, 507.510. Fast. II, 449.451. III, 255. VI, 39.** ***Lyaeus*** **Am. II, 11, 49. III, 15, 17. A. A. III, 645.765. Met. IV, 11. VIII, 274. XI, 67. Fast. I, 395. V, 521. Trist. II, 401. ex Pont. I, 10, 29.** ***Saturnia*** **Met. I, 611.615.721. II, 435.531. III, 271.293. 333.365. IV, 447.463. V, 330. IX, 176. XIV, 782. Fast. I, 265. II, 191. V, 235. VI, 507. Trist. I, 2, 7. II, 297.**

Inter omnes autem libri tertii elegias maximo mythologiae nitore carmen quartum exornatum est. De cuius v. 17:

Iam Nox aetherium nigris emensa quadrigis

pauca adnotare liceat. Recte enim Broukhusius monet Noctem deam vulgo bigis vehi, ut apud Varr. L. L. V, 19. Verg. Aen. V, 721. Val. Flacc. Arg. III, 211, quamquam Heyne paene eodem modo a Vergilio Aurorae bigas (Aen. VII, 26) et quadrigas (VI, 535) datas esse observavit. Simile quidquam nec apud Tibullum nec apud Ovidium inveni. Quod studium minus usitata proferendi etiam in rebus geographicis cognoscitur. In tertio enim carmine v. 13. 14 haec leguntur:

Quidve domus prodest Phrygiis innixa columnis,
Taenare sive tuis, sive C a r y s t e tuis.

Carystus autem oppidum in insula Euboea situm Ocha monte, cuius marmor Carystium celeberrimum erat, maximam famam habebat. Iam quamquam hoc marmor apud historicos et scriptores naturalis historiae nec minus apud poetas posterioris temporis saepe commemoratur, tamen nusquam apud poetas Augusto aequales repperi; cf. Liv. 32, 16 sq. Plin. 4, 21, 2. 36, 7, 1 . 8, 1. Senec. Troad. 846. Lucan. 5, 232. Stat. Theb. 7, 370. silv. 2, 2, 93. Mart. 9, 76. Apud Ovidium Fast. IV, 282 semel legi *vada Carystea.*

De aliis, quae huic loco inserere poteram, infra verba faciam in capite VII, ubi de verbis in libro tertio sollemniter adhibitis disseram.

Caput VI.

Tibullum igitur quominus quinque illa libri tertii carmina composuisse credamus, quoniam et argumento prohibemur et re metrica et usu loquendi, quaeritur, quis illa poemata panxerit. Quam in rem postquam dedita opera viri docti inquisiverunt, maxima pars etiam nunc quis librum tertium conscripserit plane ignorari nec ultra progrediendum esse censent. Sed cum Voss eam quaestionis partem, quae ad Tibullum spectat auctorem, optime examinavisset, ante hos sex et triginta annos Gruppe, vir haud spernenda divinandi arte praeditus demonstrare conatus est Ovidium tertii libri elegias composuisse, quibus uxorem suam secundam, cuius mentionem fecit in Trist. IV, 10, 71 sq.:

illi successit, quamvis sine crimine coniux,
non tamen in nostro firma futura toro.

ab ipso alienatam sibi reconciliaret. Nisus autem est Gruppe potissimum anno natali, cuius in carmine quinto mentio fit, repetitionibusque versuum ex eadem epistola depromptis. Sed ex his nihil aliud concludi videtur posse, quam carmen quintum ab Ovidio compositum esse. Nunc virorum doctorum iudicium de Gruppii coniectura, quam miram et paene inauditam esse clamant, pendet fere ex Hertzbergii auctoritate, qui Gruppium his verbis adgressus est (Hallische Jahrbücher 1839 p. 1024): ‚Das Gebäude stürzt mit seinem hypothetischen Fundament. Aber Hr. Gruppe fordert uns auf, auch noch etwas einzuwenden gegen seine Conjektur, d. h. nicht nur seine Gründe und somit die Nothwendigkeit seiner Folgerungen zu interminiren, sondern auch die Unmöglichkeit derselben zu deduciren. Diese . . . . erhellt vor Allem aus der ganz von Ovids Weise verschiedenen Sprache des Lygdamus, natürlich innerhalb der gemeinsamen Grenzen, in denen sich überhaupt das römische Gedicht, und vor Allem das elegische bewegt. Hier ist nichts von Ovids übertriebenen rhetorischen Effecten, die in den kaum der Deklamatorschule entwachsenen Jugendgedichten namentlich uns überall in spitzigen Antithesen und all den künstlichen Figuren der Anaphora, Epiphora, Ploke, selbst bis zu Wortspielen gesteigert entgegenspringen . . . .

Im Versbau hüpft und tanzt Ovid so, dass sein Hexameter, selbst in den ernsteren Gedichten, den Tristien und Fasten, beinahe in der Hälfte der Verse lauter Dactylen hat'. Bene hoc et recte dictum. Sed ex quibus Ovidii carminibus haec discrimina vir doctissimus repetivit? Ex Amoribus et Arte amatoria, quibus praestantiora accuratiusve limata carmina exstant nulla. Gruppio autem recte haec exprobrari concedo, quoniam E. de Leutsch in encyclopaedia ab Erschio et Grubero edita III, 8 p. 44 verisimiliter coniecit divortium Ovidii alteriusque eius uxoris factum esse inter annum ante Chr. n. 14 et 4, quo tempore Amores in quinque et postea in tres libros dispositi iam a poeta editi erant nec multo post Ars amatoria in publicum prodiit. Quod si cum his operibus summa arte ultimaque lima perpolitis viles illas et quasi sobrias Lygdami, qui vocatur, elegias contuleris, non mirum videbitur, quod in Hertzbergii sententiam multi abierunt. Accedit quod ex versibus 61—71 c. 10 lib. IV Tristium, quos Gruppe ad suam coniecturam firmandam affert, nihil aliud concludi potest, quam quod Ovidius ipse dicit secundam coniugem in toro non firmam fuisse. Sed quam ob rem non firma fuerit, utrum erepta sit an alio modo divortium factum sit, plane ignoramus. Immo longe aliter res sese habet, si mecum elegias, de quibus disputamus, adulescenti et paene puero Ovidio adscribere velis.

Ac primum quidem libri tertii usum loquendi poeticamque dictionem prope accedere ad Ovidium demonstrabo. Quae cui poetae simillima sint, miror quod nemo adhuc accuratius indagavit.

Orationem poeticam praeter ceteros Augusti aetate Vergilius Horatius Tibullus Propertius Ovidius maxime excoluerunt, qui quas proximus quisque locutiones poeticas bene composuisse videretur, et libenter et saepe in suum usum transferebant. Quo factum est, ut prorsus eodem modo quo argumenta, etiam hae per successiones quasdam traderentur neque umquam deessent, qui si quis poeticae arti idoneam verborum coniunctionem excogitasset, hanc occasione data carminibus suis innecterent. Hanc igitur poeticae dictionis copiam, quam infra recensebo, si accuratius respexeris, facile mecum consenties paene nullum poetam Augusto aequalem Ovidio similiorem esse quam Lygdamum.

Caput VII.

Verisimile est omnes, quibus tertius liber corporis Tibulliani efficitur, elegias ab uno et eodem poeta compositas esse; nam is qui carmina collegit, epistolam illam (III, 5), si alii auctori ac reliqua eiusdem libri carmina tribuenda esset, vix elegiis inseruisset. Cum autem demonstrasse mihi videar epistolam illam ad amicos ab Ovidio datam esse, bene mihi accidit, quod cum hac epistola ceterae libri tertii elegiae in singulis poeticis phrasibus communitatem quandam habent, qua ut totius libri tertii auctorem Ovidium esse credamus etiam magis commovemur.

Ac primum quidem *Lethaea ratis* et III, 5, 24 et III, 3, 10 legitur, quae verba neque apud Lucretium Catullum Vergilium Horatium Tibullum Propertium neque apud ipsum Ovidium coniuncta inveni; qui poetae omnes cum sint veri fontes ac thesauri poeticae elocutionis in comparationem constanter a nobis vocati sunt. Quod vero Ovidius ipse in ceteris carminibus *ratem Lethaeam* nusquam adhibuit, mirum esse non videtur, cum et in aliis operibus et in his ipsis, de quibus disputamus, elegiis magnus locutionum numerus exstet, quae apud eum non leguntur nisi semel. Neque minus *niveum lac* 5, 34, et 2, 20 dictione commovemur non seiungendos esse poetas carminis quinti et ceterarum libri tertii elegiarum. Eadem verba praeter hos locos apud unum Ovidium recurrere infra demonstrabo.

Sed missis aliis, quae, ut sententiam nostram firmaremus, afferre poteramus, veluti mentionem dei qui et 5, 33 et 1, 28. 3, 38 *Dis* vocatur, et usum *lympha* vocabuli et in c. 5, 3 et 6, 58 occurrentis, statim ad eas locutiones transire liceat, quae apud poetas in comparationem vocatos non leguntur nisi apud nostrum. Iam quamquam nonnulla ex iis, quae recensebo, cum apud poetas, qui tum florebant, usitatissima fuisse videantur, tamen quia multa carmina praecipue aetatis Augusteae perierunt, testimoniis firmari nequeunt, magna phrasium pars a nobis priore loco prolata non spernendum in poeta infuisse ingenium testis est, neque dubito, quin eae ab eo, qui librum tertium scripsit, inventae et in usum poeticum translatae sint. Quo in numero haec habere velim: *avena perlucens*

4, 71; *caput tergeminum* 4, 88 (Cerberi canis, cf. *tergeminus canis* Prop. V, 7, 52. Ov. A. A. III, 322. Trist. IV, 7, 16); *anguinea caterva* 4, 87 (de Cerbero; cf. *anguineae comae* Ov. Trist. IV, 7, 12); *cithara sonora* 4, 69 (*sonorus* adiectivum apud poetas, quos in comparationem vocavi, non legi nisi apud Vergilium: cf. *sonorum aes* Aen. XII, 712, *sonorae silvae* Cul. 281, *sonorae tempestates* Aen. I, 53, *sonora flumina* Aen. XII, 139); *coma myrtea* 4, 28 (Apollinis); *dea laudanda* 5, 8 (i. e. *bona Dea* Tib. I, 6, 22. Ov. A. A. III, 244; *bona Diva* Ov. A. A. III, 637. Fast. V, 148); *dolus tectus* 6, 12; *hora nigra* 5, 5 (morten saepius *nigram* dictam esse constat: cf. Prop. III, 19, 18. V, 3, 14. Hor. carm. IV, 12, 26, etc.); *Pierii lacus* 1, 16 (apud poetas legi: *Pierium antrum* Hor. c. III, 4, 40; *Pierius latex* Verg. Cul. 18; *Pieriae quercus* Prop. III, 4, 5; *Pieriae aquae* Ov. Am. III, 9, 26; *Pierii* autem *lacus*, cum aptissime dicantur, praeter nostrum locum non occurrunt); *Cimmerii lacus* 5, 24 (cf. Verg. Cul. 232 *Cimmerii luci*); *casta laurus* 4, 23 (*casta verbena* Hor. c. IV, 11, 6); *Liber torvus* 6, 19; *Lyaeus annosus* 2, 19 (*annosum merum* Lygd. 6, 58. Ov. A. A. II, 418); *garrula lyra* 4, 38 (*garrula fistula* Tib. II, 5, 30); *lenta manus* 5, 30 (*lenta bracchia* Ov. Heroid. XVII, 58. XVIII, 48, Hor. epod. 15, 6); *prona manus* 6, 6; *os rubens* 4, 32; *Panchaia dives* 2, 23 (cf. Verg. G. II, 139 *totaque turiferis Panchaia pinguis arenis*); *ratis Lethaea* 3, 10. 5, 24; *rugosa senecta* 5, 25 (cf. Ov. Trist. III, 7, 34 *rugaque in antiqua fronte senilis erit*; ex Pont. I, 4, 2 *iamque meos vultus ruga senilis arat*; Fast. V, 68 *ruga senilis*); *sucus mortifer* 5, 9; *Castalia umbra* 1, 16 (apud Propertium eodem fere modo occurrit *Castalia arbor* IV, 2, 13; cf. *Castalium antrum* Ov. Met. III, 14, *Castalia aqua* Ov. Am. I, 15, 36; *Castaliae unda* Verg. Cul. 17; *ros purus Castaliae* Hor. c. III, 4, 61); *unda facilis* 5, 30 (*lympha facilis* Prop. I, 11, 12); *seria verba* 6, 52; *vina iocosa* 6, 20 (cf. *inter iocosi munera Liberi* Hor. c. IV, 15, 26); *mystica vitis* 6, 1 (cf. *mystica vannus Iacchi* Verg. Georg. I, 166); *vota temeraria* 6, 27 (adiectivum *temerarius*, quod apud Lygdamum etiam c. 4 v. 7 legitur, Lucretius Horatius Vergilius Tibullus non exhibent, saepius Ovidius).

Iam ad ea recensenda accedam, quae, quamquam praeter Lygdamum non leguntur, tamen apud poetas in usu vulgari fuisse veri simile vel non dissimile est. Sed cum difficillimum sit ad distin-

guendum, quae fuerit usitatissima locutio et quae cuiusque poetae propria, fieri potest, ut in singulis erremus et alii in contrarias sententias abeant.

Phrases autem hae fere sunt: *Arabes Eoi* 2, 24 (*Arabes molles* Cat. XI, 5; *tener Arabs* Tib. IV, 2, 18; *Arabes palmiferi* Ov. Met. X, 478, *turilegi* Ov. Fast. IV, 569; apud Ovidium occurrunt *Indi Eoi* Am. II, 6, 1 et apud Horatium cf. c. I, 35, 30. Prope accedit ad hunc locum locutio quae exstat apud Vergilium in Georg. lib. II v. 115 *Eoae domus Arabum*); *Assyria pinguis* 2, 24 (cf. *pinguis Phrygia* Hor. c. II, 12, 22; *Assyria* apud Lucretium et Catullum et apud poetas Augusto aequales praeter hunc locum non legitur); *arva pinguia* 3, 12 (*pinguior campus* Hor. II, 1, 29; *pingue solum* Verg. G. I, 64; *pinguis humus* Ov. ep. I, 54. A. A. I, 360); *amictus fuscus* 4, 55; *amnis caeruleus* 4, 18; *aqua pallida* 1, 28 (Ditis); *auris aversa* 3, 28 (cf. Liv. XXIV, 26 *aversis auribus animisque*); *amnes vasti* 3, 37 (de Orco); *alites nivei* 6, 8 (i. e. cygni, alii hac dictione faustum omen significari existimant minus recte, si quid video; *ales albus* legitur apud Hor. c. II, 20, 10); *certamen mite vini* 6, 11 (cf. Verg. G. I, 344 *mitis Bacchus*); *cantus felices* 4, 40; *corpus nitidum* 4, 36; *Phrygiae columnae* 3, 13 (*Phrygius lapis* Hor. c. III, 1, 41); *longa cervix* 4, 27 (iam apud Varr. r. r. II, 5 legi *cervicibus longis*); *charta tenuis* 1, 11; *coniugium ferum* 4, 74; *turpes curae* 6, 37; *dies serena* 6, 32; *inmitis domina* 4, 74 (cf. *domina dura* Prop. I, 7, 6, *iniqua* Ov. Am. II, 18, 17, *inpia* Hor. c. II, 8, 19); *domus marmorea* 2, 22 (*marmoreus thalamus* Verg. Aen. IV, 392); *figura virginea* 4, 89 (Scyllae); *fontes Etrusci* 5, 1 (*aquae Etruscae* Ov. Fast. VI, 714); *hora sequens* 4, 46 (*horae venturae* Ov. Remed. 93); *iocus vanus* 4, 68; *niveus libellus* 1, 9 (cf. Cat. 1, 1 *lepidum novum libellum*); *Erythraeum litus* 3, 17; *luci sacri* 3, 15 (*lucus sanctus* Ov. Met. XV, 793, *sacratus* Verg. Aen. VII, 778); *lux nivea* 3, 25 (*lux laeta* Cat. LXIV, 325, *alma* Ov. Met. XV, 664; *bona* Ov. Trist. I, 1, 97. ex Pont. III, 1, 159, *prospera* Ov. Fast. I, 71; *purpurea* Cat. LXIV, 275. Ov. Fast. VI, 252); *Marcia lympha* 6, 58 (*Marcius liquor* Prop. IV, 1, 52, *umor* Prop. IV, 22, 24); *sacra lympha* 5, 3; *lymphae Tuscae* 5, 29 (*aqua Tusca* Ov. Fast. IV, 48. I, 500, V, 628); *Mars Romanus* 1, 1; *membrana lutea* 1, 9; *mensa secura* 6, 31; *murex Sidonius* 3, 18

(*murex Afer* Hor. c. II, 16, 36; *Baianus* Hor. sat. II, 4, 32; *Gaetulus* Hor. ep. II, 2, 181. Ov. Fast. II, 319; *Phocaicus* Ov. Met. VI, 9; *Tyrius* Verg. Aen. IV, 262. Hor. epod. XII, 21, Tib. II, 4, 28. Ov. A. A. III, 170. Remed. 708. Fast. II, 107); *aeriae nubes* 6, 28 (*aeriae aurae* Lucr. I, 771. III, 405. IV, 931. V, 501. Verg. Aen. V, 520. Ov. Met. IX, 219. X, 178. XIV, 127, *aeris aurae* Lucr. I, 207. II, 203. III, 753. VI, 1225 etc.; *aerii venti* Cat. LXIV, 142, *aeriae nebulae* Cat. XXX, 10 [,*tua dicta omnia factaque Ventos inrita ferre ac nebulas aerias sinis*']; *aetheriae nubes* Lucr. IV, 182; *aetheria aura* Lucr. III, 406. Verg. Aen. I, 546); *os ferum* 4, 86; *ossa candida* 2, 10; *palus nigra* 3, 37 (*palus inferna* Ov. Fast. II, 610, *paludes Stygiae* Ov. Met. I, 736; de *paludis* vocabulo cf. Verg. G. IV, 479. Ov. Met. II, 46); *poeta castus* 4, 43 (cf. Cat. XVI, 5: *nam castum esse decet pium poetam*; Cat, XV, 4); *pocula sicca* 6, 18; *quadrigae nigrae* (Noctis) 4, 17; *querellae blandae* 4, 75 (*molles querellae* Hor. c. II, 9, 18); *reditus dulcis* 3, 27; *ros Syrius* 4, 28 (*ros Ionius* Prop. III, 21, 2. *ros Arabum* Ov. ep. Sapph. 76); *sal saliens* 4, 10 (cf. *saliens mica* Hor. c. III, 23, 20. Ov. Fast. IV, 409); *somnia crudelia* 4, 95 (*somnia tristia* Verg. Aen. V, 840, *dementia* Prop. IV, 7, 15, *mala* Tib. II, 6, 37, *saeva* Tib. I, 5, 14; *nigra* Tib. II, 1, 90. Ov. Fast. IV, 662); *somnia temeraria* 4, 7; *sonus submissus* 1, 22; *horrenda Syrtis* 4, 91 (*Syrtis inhospita* Verg. Aen. IV, 41. Ov. Met. VIII, 120, *vasta* Verg. Aen. I, 146, *barbara* Hor. c. II, 6, 3); *tectum marmoreum* 3, 3 (*marmorea aedes* Ov. ep. VII, 99. XII, 88 [1]); *templa sacra* 4, 77 (*sacratum templum* Cat. LV, 5. Verg. Aen. II, 165. Ov. Fast. II, 57. III, 430, *sanctum* Verg. Cul. 83); *vani tremores* 4, 13 (*vanus metus* Hor. c. I, 23, 3. Ov. Her. XV, 238; *tremores* nostro loco scripsit L. Mueller, qui adnotat in praef. p. XXIV ad h. v: ,*tremores* scripsi; *timores* v., minus recte, quoniam statim sequitur illud *pertimuisse*, unde orta corruptela'. Quod argumentum minus probabile esse mihi videtur; nam paene eodem modo legitur apud Ovidium in ep. ex Pont. III, 6, 43 ,*vano timore*', cui locutioni proxime praecedit in v. 41 ,*timeres*'; *vanus timor* occurrit etiam in Ov. Hal. v. 50). Denique affero *vela carbasea* 2, 21.[2]) Quibus locutionibus

[1]) *marmorea tecta* etiam apud Cic. Parad. I, 3, 13 exstant.

[2]) *vela carbasea* itidem legis etiam apud Cic. in Verr. V, 12, 30; 31, 80.

perlustratis facile persuasum habebis non pauca a Lygdamo, quem vocant, non sine ingenio quodam esse inventa, ut non tam imbecillus in arte poetica imitator esse videatur quam vulgo viri docti statuerunt.

Ad ea accessurus, quae etiam apud alios poetas in comparationem a nobis vocatos exstant, ita rem instituam, ut, de quibus poetis Ovidius, cui librum tertium tribuimus, singulas poeticas locutiones deprompserit et ad usum suum adhibuerit, quam accuratissime afferam.

Ac primum, num Ovidius Lucretii libros, quos ceteris in carminibus saepissime eum imitatum esse docuit Zingerle l. c. (II p. 12—47), iam in his, de quibus agitur, elegiis expresserit, dubito, cum, quae sola apud utrumque poetam leguntur, facillime ex usu poetarum communi originem ducere potuerint. Sunt autem haec: *aevum futurum* 4, 47 = Lucret. III, 486. Ov. Her. IV, 131 (cf. *aevum venturum* Verg. Aen. VIII, 627); *facta inpia* 6, 42 = Lucret. I, 83, quae verba semel etiam apud Cat. XXX, 4 et Verg. Aen. IV, 596 et bis apud Ovidium Her. X, 100 et Fast. II, 38 coniuncta sunt; *mentes pavidae* 4, 8 = Lucret. VI, 51.

Porro in c. 6 v. 39 et 40 Lygdamus Ariadnam a Theseo in insula Naxo perfide relictam his verbis commemorat:

Sic cecinit pro te doctus, Minoi, Catullus.

Quanti Ovidius Catullum aestimaverit, et inde facile concludes, quod eius saepius in carminibus suis mentionem fecit e. g. Am. III, 9, 62 (ubi Catullum eodem modo ‚*doctum*‘ nominat) 15, 7. Trist. II, 427, et prorsus persuasum tibi habebis, si, quae Zingerle I p. 36—55 congessit, perlustraveris. Sed priusquam ea orationis lumina, quae Lygdamus sine dubio de Catullo deprompserit, enumeremus, liceat alia afferre, quae quasi ex scrinio eiusdem Catulli Ovidius videtur hausisse.

Ac primum fabula Ariadnae, quam Lygdamus, quem dicunt, l. c. paucis percurrit, iam a Catullo in digressione illa celeberrima c. LXIV inserta celebrata est, ex quo loco prorsus pendere Ovidianae epistolae decimae argumentum et divisionem demonstravit Zingerle (I p. 50). Deinde *Minoidis* nomen in Lygdami carminis

sexti v. 41 obvium legitur etiam apud Catullum LXIV, 60. 247 nec dubitari potest, quin ex his locis sit translatum in Ov. Her. XV, 243. A. A. I, 509. Met. VIII, 174 et fortasse etiam in Prop. III, 6, 7. 19, 27. V, 11, 21. Exemplum autem versus 40 c. 6.:

Flevisti ignoto sola relicta mari,

quem Ovidius posteriore tempore paulum variatum de eadem Ariadnae fabula adhibuit in A. A. III, 36:

Quantum in te, Theseu, volucres Ariadna marinas
pavit, in ignoto sola relicta loco

non dissimiliter conceptum iam occurrit apud Catullum LXIV, 57:

Desertam in sola miseram se cernat arena.

Deinde non dubito quin etiam imagines, quae in c. 4 v. 96:

Et iubeat tepidos irrita ferre Notos

et c. 6 v. 50:

Iuppiter et ventos irrita ferre iubet

occurrunt, ad exemplum Cat. XXX, 10. LXIV, 142 (cf. LXV, 17) referendae sint, ex quo fonte et Tibullus I, 4, 22 et saepissime Ovidius, qui v. 49 et 50 sexti illius carminis ex parte commutatos inseruit Arti amatoriae lib. I v. 633. 634, hauserunt (cf. Zingerle I p. 39 sqq.). Ex eodem Catullo derivavit Lygdamus, quae leguntur in c. 4 v. 85 sqq.:

Nam te nec vasti genuerunt aequora ponti
Nec flammam volvens ore Chimaera fero
Nec canis anguinea redimitus terga caterva,
Cui tres sunt linguae tergeminumque caput,
Scyllaque virgineam canibus succincta figuram,
Nec te conceptam sacra leaena tulit,
Barbara nec Scythiae tellus horrendave Syrtis.

Similia enim invenies apud Cat. LX, 1. LXIV, 154 et saepius apud Ovidium: cf. Her. VII, 35 sqq. X, 131. Met. VII, 32. VIII, 120. IX, 613; apud Tibullum tale quid frustra quaeras.

Denique hyperbolae, quam vocant, *mille boves* 3, 12, similia exempla saepius in Catulli carminibus occurrunt, a quo Ovidius videtur eiusmodi dictiones didicisse; in Lucretii libris simile quid nusquam, in Tibulliano corpore praeter hunc locum non legitur nisi in lib. IV. c. 2 v. 14, apud Horatium et apud Ovidium saepissime.

Sed his missis eas elocutiones poeticas colligam, quae et in Lygdami elegiis et apud *Catullum* occurrunt; quarum priorem

partem ab Ovidio imitatione expressam esse arbitror. Sunt autem hae: *bella puella* 4, 52, quae eadem legitur apud Cat. LXIX, 8. LXXVIII, 4 et apud Ov. Am. I, 9, 6; *irrita ferre* 4, 96. 6, 50, qua dictione etiam Tibullus lib. I c. 4 v. 22 utitur, suum habet exemplum apud Cat. XXX, 10; *aurifer amnis* 3, 29 (i. e. Pactolus) dicitur Tagus apud Cat. XXIX, 19.

Minus gravia sunt haec: *domus casta* 4, 60. Cat. LXIV, 384. Verg. Georg. II, 524. Hor. c. IV, 5, 21; *dies felix* 3, 26. Cat. LXII, 30. Verg. Cir. 27; *longa vita* 3, 7. Cat. LXIV, 215 (eodem versus loco); *dei magni* 4, 16. Cat. XIV, 12. LIII, 5. CIX, 3. Verg. Aen. IX, 82. III, 12. VIII, 679. Prop. III, 32, 46. Ov. Am. II, 19, 18. III, 7, 46. Her. XII, 34. XVII, 102. Met. V, 320. IX, 555. Fast. III, 696. V, 38. VI, 187. Ib. 94. Trist. I, 4, 22. V, 9, 12. ex Pont. I, 1, 48. IV, 9, 32. I, 5, 70. 6, 26. II. 9, 35. III, 1, 162. IV, 5, 26 (in omnibus pentametris eodem versus loco praeter Am. II. 19, 18. III, 7, 46. ex Pont. I, 6, 26. IV, 9, 32). Postremo loco affero *me duce* 6, 10, quae dictio Ovidio in deliciis videtur fuisse (cf. Am. III, 12, 11. II, 12, 13. A. A. I, 382. II, 58. Remed. 69. 70. 253. Met. VIII, 208. XIV, 112. 836); cum autem eadem iam apud Cat. LXIII, 15 exstet, huic loco eam inserendam esse censui.

Iam de ‚Lygdamo' *Vergilii* imitatore verba ita faciamus, ut ex ordine temporum quibus scripta sunt Vergilii opera recenseamus.

Mundus aetherius igitur 4, 17 legitur iam in Vergilii Culice v. 102. Neque enim habeo, cur hoc carmen a Vergilio alienum esse statuam, immo plane Ribbeckio adsentior (cf. op. IV. p. 18—22); itaque vix dubito, quin Lygdamus ex hoc loco miram illam elocutionem in suam elegiam transtulerit.

Quae leguntur verba in c. 4 v. 65 et 66 *saevus Amor docuit*, eadem Vergilius in Eclogis VIII, 47 exhibet; *saevus Amor* appellatur etiam in Ov. Am. II, 10, 19. I, 6,34. Her. VII, 188. Remed. 530.

Armeniae tigres 6, 15 itidem leguntur in Verg. Ecl. V, 29. Prop. I, 9, 19. Ov. Met. VIII, 121. XV, 86 (quo loco versus 15 c. 6 paulum variatus occurrit); cf. etiam Ov. Am. II, 14, 35.

Ver purpureum 5, 4 optime appellavit etiam Verg. in Ecl. IX, 40.

Elysii campi 5, 23 cum a Verg. Georg. I, 38 commemorantur tum leguntur apud Tib. I, 3, 58. Ov. Ib. 171 et in Domit. Mars. epigr. in Tib. mort. v. 2.

Lenaeus pater 6, 38 idem occurrit apud Verg. Georg. II, 7 nec non apud Ov. Met. XI, 132.

Pocula inficere 5, 9 praeoccupavit Verg. Georg. II, 128.

De *saeva leaena* dictione conferas Verg. Georg. III, 246 *leaena saevior* (*saevus leo* Lucret. IV, 1016. Verg. Aen. IX, 792).

Munera Bacchi 6, 17 leguntur apud Verg. Georg. III, 527 et apud Ovidium A. A. I, 565, *munus Bacchi* Ov. Remed. 803 (cf. *munera Liberi* Hor. c. IV, 15, 26. *munera Cereris* Ov. Met. X, 74).

Lilia alba 4, 34 exstant apud Verg. Georg. IV, 131. Aen. XII, 68. Prop. II, 3, 10. Ov. Fast. IV, 442.

Fulva leaena 6, 15 occurrit etiam in Verg. Georg. IV, 408. (cf. *fulvus leo* Ov. Her. X, 85. Fast. II, 339. Met. I, 304. X, 551 cf. Hor. c. IV, 4, 14). Hae locutiones, quae paene omnes ex Vergilio a Lygdamo repetitae videntur esse, non exstant nisi in prioribus poetae illius clarissimi carminibus, in Culice, Eclogis, Georgicorum libris. Quod autem vix quicquam ex Aeneide imitatus est, id eo notabilius mihi videtur, quo maiorem vim maxime ad orationem poeticam excolendam apud poetas Augusto aequales hoc epos habuit. Quin etiam omnes, quotquot tum Romae poetae fuerunt, et in sententiis et in arte metrica et in elocutione poetica inde ab anno a. Chr. n. fere 26, quo tempore nascentis Aeneidos laudes canit Propertius[1]) in lib. III c. 32 v. 65, 66 hisce versibus:

Cedite Romani scriptores, cedite Grai:
Nescioquid maius nascitur Iliade.

recti et ducti videntur esse clarissimo illo carmine. Iam cum ex locis a Zingerlio (II p. 48 sqq.) congestis cognoscamus, quanto amore studioque Ovidius Aeneidem amplexus sit (cf. laudes quas

[1]) Hunc enim panegyricum contra Heimreichii et Caruttii suspiciones nuper feliciter defendit Eduardus Heydenreich in Commentationibus philologicis, quas scripserunt seminarii philologici regii Lipsiensis sodales (Lips. 1874) p. 3 sqq.

tribuit in A. A. III, 338: *quo nullum Latio clarius extat opus*, et Remed. 396 *quantum Vergilio nobile debet epos*), fieri vix potuit, ut idem poeta, quem priora Vergilii poemata imitatum esse manifestissimum est, Aeneidos libros prorsus neglegeret, nisi Aeneidos singulos libros tum cum scripta sunt carmina, de quibus agitur, nondum esse publici iuris factos vel recitatos statuimus. Composui igitur singula, quibus Lygdamus cum Vergilii Aeneide congruit, quae tamen omnia in usu poetarum communi fuisse suspicor meroque casui tribuendum, quod aliis locis probari non possunt: *trabes auratae* 3, 16: Verg. Aen. II, 448. Prop. IV, 1, 50 (cf. *aurata tecta* Ov. Met. VIII, 692, *aurea tecta* Ov. Her. XV, 73. ex Pont. II, 1, 42); *cara coniux* 3, 32: Verg. Aen. IV, 91. Ov. Fast. V, 525. Trist. III, 11, 15. V, 1, 39. ex Pont. I, 8, 32. (cf. *coniux carissima* Ov. Trist. III, 4, 53); *corda fortia* 2, 6: cf. *corda fortissima* [*iuvenes*] Verg. Aen. V, 729, *cor forte* Ov. Trist. III, 3, 57; *pia manus* 2, 16: Verg. Aen. III, 42. IV, 517; *gaudia falsa*[1]) 6, 33: Verg. Aen. VI, 513. Prop. I, 8^b, 3. Ov. Her. XIII, 106 (cf. *gaudia vana* Hor. ep. II, 1, 188); *magna numina* 6, 22: Verg. Aen. III, 264. 634. 697. Ov. Am. II, 8, 18. Fast. V, 684. (*magnum numen* Verg. Aen. IV, 94. Ov. Am. III, 11, 47); *carus puer* 6, 5: Verg. Aen. VIII, 581; *pontus vastus* 4, 85: Verg. Aen. III, 605. Prop. I, 15, 29; *quies sera* 4, 22: Verg. Aen. VIII, 30; *purpureus color* 4, 30: Verg. Aen. XI, 819. Tib. I, 4, 29. Hor. c. II, 5, 12. Ov. Met. III, 485. XIV, 393.

Num ex *Horatii* carminibus voces selectas Lygdamus imitatione expresserit, dubium est. Nam quamquam usque adhuc plurimi ex viris doctis statuerunt et nuperrime Lucianus Mueller in editionis Horatianae praefatione p. XXXIII affirmavit Lygdamum et identidem Ovidium locum Horatianum, qui est in carminum lib. III c. 23 v. 20:

Farre pio et saliente mica

imitatos esse his versibus:

Farre pio placant et saliente sale (Lygd. 4, 10)
Farra deae micaeque .... salientis honorem (Ov. Fast. IV, 409)
Far erat et puri lucida mica salis (Ov. Fast. I, 338),

[1]) *Falsum gaudium* dudum dictum est, cf. Plaut. Poen. 5, 4, 88; Terent. Andr. 180, Hec. 842..

nescio an *far pium* et *sal saliens* ex sollemnibus sacerdotum formulis a poetis repetitae sint. *Far pium* certo sollemnis fuit loquendi formula (cf. Serv. ad Ecl. VIII, 82; Nonius p. 52 ,ador frumenti . . . pium putatur'; Preller, Roem. Mythol. [2] p. 547); quamquam confiteor idem de formula *saliens sal* vel *saliens mica* certo demonstrari non posse. Vtrumque poetam (et ,Lygdamum' et Horatium) has locutiones ex priore aliquo poeta ignoto sumpsisse cum non sit verisimile, restat, ut aut Lygdamum Horatii carmen anno ante Chr. fere 24 legisse et imitatum esse statuamus, id quod mihi non persuadetur, aut quamvis sollemnis formulae testimonium afferri nequeat, tamen locutionem *sal saliens* eo modo explicemus. Bene autem ad formulam allitteratio quae dicitur in rebus sacris a Romanis saepissime adhibita quadrat. Quod si recte conieci, Horatius illam locutionem ad suum usum et ex suo more novavit. Sane quae alibi occurrit *mola salsa* sollemnis formula interpretationi a nobis propositae non repugnat, cum his verbis far et sal inter se mixta videantur significari (cf. Fest. p. 158; Non. p. 223; Klausen, Aeneas II p. 633 sqq.). Eodem fere modo pro farre et sale in actis fratrum Arvalium breviter dicta est *mola* (cf. Henzen, Acta fratr. Arval. 1874 p. 93 sq.).

Praeterea dixerit quispiam *Orcum luridum* 3, 38 expressum esse ex Horatio, apud quem idem legitur c. III, 4, 74; sed simile quid iam in Vergilii Georgicis exstat, in quorum lib. I v. 277 *Orcus pallidus* legitur; *luridus* autem saepius apud Lucretium nec non apud Ovidium (cf. Met. XIV, 747) pro eo quod est ,valde vel supra modum pallidus' occurrit. Constat igitur nihil certo ex Horatii carminibus depromptum esse. Vix addam necesse est has vulgares phrases etiam in Flacci libris occurrere: *dulces amici* 6, 9. Hor. Sat. I, 3, 69. Ep. I, 7, 12. Ov. ex Pont. I, 8, 31 (cf. *dulcis amiculus* Cat. XXX, 2); *blandae preces* 3, 2. 6, 46. Hor. c. IV, 1, 8. A. P. 395. Ov. Her. III, 30. A. A. I, 710 (eodem versus loco). Met. X, 642; *cara puella* 6, 12. Hor. Ep. I, 18, 74. Tib. I, 2, 93. Prop. II. 8, 1; *dulces modi* 4, 42. Hor. c. III, 9, 10. Ov. Fast. I, 444 (eodem versus loco.).

Quam arta familiaritate coniuncti fuerint Ovidius et *Propertius*, demonstrat ipse Ovidius in Trist. lib. IV c. 10 v. 45 et 46:

Saepe suos solitus recitare Propertius ignes,
Iure sodalicii qui mihi iunctus erat.

Qua amicitia eum non ante vicesimum alterum aetatis annum esse usum verisimillimum est, cum inde ab hoc fere tempore elegiis, quibus Corinnam suam celebravit, publici iuris factis statimque ore populi propagatis clarus factus in amicorum poetarum artiumque et elegantiarum studiosorum coetum venisse videatur. Cum autem magna pars Propertii carminum nonnullis annis post elegias a Lygdamo scriptas edita sit[1]), mirum non est, quod perpaucae similes locutiones in eis occurrunt, quae tamen omnes ex usitatissimis poetarum fuisse videntur.

Ac primum quidem colorum oppositio, quae Ovidio in deliciis fuit (cf. Am. II, 5, 35. Met. III, 483. IV, 331 al.) etiam in ‚Lygdami' carminibus 4, 29 sqq. invenitur; simile quid in ipso Propertio II, 3, 10 legimus, ex quo Ovidium hanc figuram poeticam repetiisse negare ausim. Nam eiusmodi oppositiones, etiamsi per minorem versuum ambitum continuentur, iam praebent Enn. frag. 355 (ed. Vahlen). Cat. LXIV, 308; cf. Verg. Aen. XII, 68. Ov. Met. X, 595. Am. II, 5, 37 sqq. Apud Tibullum autem tale quid frustra quaeres (cf. de hac re fusius disserentem Zingerlium I p. 114 sqq.). Praeterea affero: *trita venena* 5, 10. Prop. III, 9, 14. 19, 11; *‚taetra'* adiectivum, quod pro *trita* magna editionum pars ex Scaligeri coniectura 5, 10 exhibet, in Ovidii Tibulli Propertii carminibus non legitur (cf. L. Muellerum in Prop. praef. p. XXIII et Hor. praef. p. XXXI); apud Ovidium occurrunt: *tritae cicutae* A. A. III, 465, *tritum papaver* Fast. IV, 151, *trita pyrethra* A. A. II, 418.

Plectrum eburnum 4, 39. Prop. IV, 2, 25. (cf. *plectrum aureum* Hor. c. II, 13, 26).

Vir ingratus 6, 42. Prop. I, 6, 10. Ov. Her. XII, 124. Fast. I, 622. III, 462.

Sed iam quaeramus, quid de *Tibullo* deprompserit Lygdamus. Admodum autem hac in quaestione disceptanda viri docti peccasse mihi videntur, cum non modo singulas locutiones sed etiam

---

[1]) Liber primus Lachmanno videtur editus esse anno a. Chr. 29 vel 28, alter non multo post, tertius et quartus libri fere a. 22, liber quintus fortasse post mortem demum poetae.

omnes fere sententias, quae in libri tertii elegiis occurrunt, imitatione Tibulli expressas esse a Lygdamo, quem vocant, demonstrare conati sint. Quo nihil perversius esse mihi quidem persuasum est. Proponam igitur brevem eorum locorum conspectum, quos Teuffel et Stumpe (De Lygdami qui vocatur elegiis, Halis Saxonum 1867 p. 17 sqq.) omissis eis quae Fuss p. 57—63 et Bolle p. 5 sqq. afferunt, mirum in modum inter se comparaverunt atque adeo ex Tibullo ipso repetitos esse statuerunt: III, 2 init. = I, 10 init. III, 2, 11 sqq. = I, 3, 5—8. I, 1, 61 sqq. III, 2, 29 sqq. = I, 3, 55 sqq. III, 3, 3—6. 11—18 = II, 3, 41—44. 57. 58. III, 4, 18 = II, 5, 60. III, 4, 55 = II, 1, 89. III, 4, 67—72 = II, 3, 11 sqq. III, 4, 69 = II, 5, 2 sqq. III, 4, 82 = II, 4, 7. III, 5, 2—8 = I, 6, 22. III, 5, 7—16. 23 = I, 3, 51—54. 57. 58. I, 2, 79—80. III, 5, 25 = I, 10, 43. III, 5, 26 = I, 10, 44. III, 5, 30 = I, 4, 46. III, 6, 1 = II, 5, 121 sqq. III, 6, 13 sqq. = II, 1, 72 sqq. III, 6, 27 = IV, 13, 17. III, 6, 45 = I, 4, 15. III, 6, 60 = IV, 10, 6. III, 6, 62 = I, 2, 1.

Attamen vix cuiquam viri illi docti persuaserint poetam libri tertii, sive Ovidius is fuit sive alius quilibet, ex his versibus et sententiis carmina sua ita non tam compilasse quam consuisse, ut non modo Tibulli libros qui erant editi sed etiam, qui latebant in eius scriniis, quasi extergendo locis transscriptis — ut Fussii verbis utar — musivum quoddam opus conficeret. Neque enim satis saepe monere possumus similia argumenta a diversis scriptoribus tractata omissis aliis testimoniis per se nullo modo coniecturam eorum firmare posse, qui ea ex re hunc vel illum poetam hunc vel illum alium imitatum esse et exscripsisse concludunt. Quid enim de eo dixeris, si quis hodie unum ex nostri temporis poetis, veluti Geibelium, quae de vere redeunte, de pratis laetis, de silvis sonoris et quae sunt similia omnia surripuisse e. g. ex Kleistii vel Hoeltyi carminibus nobis persuadere voluerit, cum hi poetae de eiusmodi argumentis poemata composuissent? Quae argumenta quasi communes loci plurimorum sunt poetarum. Immo vero nisi certissima accedunt indicia, quae poetam id egisse, ut exemplar suum apertissime imitaretur luce clarius demonstrent, — id quod nonnullis locis Tibullianis Ovidium fecisse supra vidimus — de vera imitatione non est cogitandum. Prorsus autem E. de Leutschio adsentior, cum in encyclopaedia ab Erschio et Grubero edita III, 8 p. 75 haec scribat:

'Alle andern sogenannten Nachahmungen sind keine, da sie als solche nie bewiesen werden können . . . . Haben aber die guten Dichter Aehnlichkeiten, so liegt es im gleichen Stoff, in Zufälligkeiten; der gute Dichter drückt jedoch jedem Worte sein Gepräge auf.'

Attamen minime negamus Lygdamum, quem dicunt, Tibulli carmina ex parte legisse et inde poeticae orationis lumina aliqua deprompsisse. Quo in numero habere velim, quod pro significatione duri et crudelis et immitis hominis usus est vocabulo *ferreus* 2, 2 e Tibulli scriniis repetito; cf. Tib. I, 2, 65. 10. 2. II, 3, 2, quod idem saepius exstat apud Ovidium Am. I, 6, 27. 7, 50. 14, 28. II, 5, 11. 19, 4. Her. I, 58. III, 138. IV, 14. XVI, 136. 137. Met. XIII, 515. XIV, 721. Accedunt aliae dictiones, quae omnes e Tibulli libro primo depromptae sunt: *aurum dives* 3, 11. Tib. I, 9, 32 (cum in utroque versu exstet '*pondus divitis auri*', imitatio dilucide apparet), accedit Tib. I, 10, 7.

Canis aestivus 5, 2. Tib. I, 4, 6 (eodem versus loco); cf. *aestivus ortus canis* Tib. I, 1, 27; *canis aestifer* Verg. Georg. II, 353.

Pauper cultus 3, 31. Tib. I, 10, 19 (eodem versus loco); cf. *cultus non dives* Verg. Cul. 95.

Tenerae genae 4, 32. Tib. I, 1, 68. 4, 14. 10, 55. Ov. Am. II, 5, 46. 6, 4. Med. fac. 100. A. A. I, 532 (in omnibus versibus praeter Tib. I, 10, 55 eodem loco).

Inpia lingua 4, 16. Tib. I, 2, 80 (eodem versus loco).

Tardus pes 5, 16. Tib. I, 8, 48. Ov. Am. II, 19, 12 (eod. v. l.). Trist. I, 3, 56.

Fallax puella 6, 51. Tib. I, 6, 15 (*fallax amica* Ov. Am. II, 9, 43. A. A. III, 641).

Tempora prisca 5, 26. Tib. I, 10, 44. Ov. Fast. I, 197.

Terra benigna 3, 6. Tib. I, 3, 62 (eod. v. l.); cf. *ager benignus* Ov. Am. I, 10, 56.

Vir cupidus 4, 52. Tib. I, 1, 76. Ov. Am. II, 5, 26. A. A. III, 88 (eod. v. l.); cf. *cupidus amans* Verg. Cir. 78. Ov. Her. III, 26. XVIII, 67. A. A. I, 420. Remed. 611. Met. IV, 678.

Liceat hoc loco addere: *capilli longi* 2, 11. Tib. I, 3, 91. Ov. Am. III, 3, 3. Her. VIII, 77; *crines intonsi* 4, 27. Tib.

I, 4, 38. Verg. Cir. 284, (cf. *intonsi capilli* Hor. epod. XV, 9. Ov. Met. I, 563; *intonsae comae* Tib. II, 3, 12).

Sed haec hactenus de Tibulli imitatione.

Iam eam schedarum nostrarum partem evolvamus, qua continentur similes locutiones, quae nisi apud *Ovidium* et poetam libri tertii non exstant: *generosus Bacchus* 6, 5. Ov. Met. IV, 764 (eod. v. l.) *pendentia bracchia collo* 6, 45. Ov. Trist. III, 5, 15. *doctus Catullus* 6, 41. Ov. Am. III, 9, 62. *convivia mensae* 6, 59. Ov. Met. I, 165. Ib. 429 (eod. v. l.). *niveum corpus* 4, 30. Ov. Am. III, 2, 42 (eod. v. l.). Hal. 131. *cura deum* 4, 43. Ov. Met. IV, 573 (eod. v. l.), cf. *cura deae* A. A. I, 512. (De sententia, qua Phoebus et Bacchus et Musae poetae faventes ita inducuntur, ut nostro loco Lygdamus ab Apolline salutetur ‚*cura deum*', conferas Ov. Am. III, 9, 17 ‚*at sacri vates et divum cura vocamur*' et A. A. III, 405 ‚*cura deum fuerant olim regumque poetae*). *dei adversi* 5, 14. Ov. Her. VII, 4. ex Pont. III, 2, 18 (eod. v. l.). *clara domus* 3, 4. Ov. Her. XVI, 52. Trist. II, 112. *facta nefanda* 5, 12. Ov. Her. XIV, 16. Fast. II, 850 (eod. v. l.). *turpe factum* 4, 15 Ov. A. A. III, 218. *candidum fatum* 6, 30. Ov. Trist. III, 4, 34. *nigra favilla* 2, 10. Ov. Fast. 523 (cf. *atra favilla* Verg. Aen. V, 666; Ovid. Met. XIII, 603. Trist. V, 5, 36). *frontes geminae* 1, 13 eodem sensu de utraque folii pagina dictae leguntur apud Ov. Trist. I, 1, 11 (cf. Mart. III, 2, 7: ‚*Cedro nunc licet ambules perunctus Et frontis gemino honore*' etc.; Becker-Marquardt, Handb. der röm. Alterth. V, 2 p. 395; eandem locutionem Ovidius itidem usurpavit, cum in Fast. lib. I v. 135 de utraque portae parte verba faceret. *nocturnae imagines* 4, 56. Ov. Am. III, 5, 31. 33 (cf. *imago noctis* Ov. Her. XVIII, 193. Met. XI, 550. Trist. I, 3, 1). *nivea iuvenca* 4, 67. Ov. Met. I, 651 (cf. *niveus iuvencus* Verg. Ecl. VI, 46; *nitens iuvenca* Ov. Met. I, 611; *candens iuvencus* Verg. Aen. IX, 627). *lac niveum* 2, 20. 5, 34. Ov. Met. XIII, 828. Fast. IV, 151. 780. *lingua subdola* 6, 46 (hanc scripturam ex N. Heinsii coniectura pro v. ‚*sordida*' in contextum rectissime recepit L. Mueller). Ov. A. A. I, 598 (eod. v. l.). *mens aegra* 4, 19. Ov. Trist. III, 8, 25. IV, 3, 21. 6, 43.

ex Pont. I, 5, 18. 6, 15. Ib. 115. *mens tristis* 6, 34. Ov. Her. XII, 148. *merum annosum* 6, 58. Ov. A. A. II, 4, 18 (eod. v. l.). *merum liquidum* 6, 62. Ov. Trist. II, 490 (eod. v. l.), (cf. *liquidum Falernum* Hor. ep. I, 14, 34. 18, 91). *Notus tepidus* 4, 96 (*et iubeat tepidos irrita ferre Notos*). Ov. Am. I, 4, 12. 7, 56. II, 8, 20. Her. XI, 76 (eod. v. l.). Ib. 34. Apud Vergilium Horatium Tibullum haud raro apud Ovidium ipsum Notus est gelidus et imbrifer ventus. Quod cum Robertus Titius intellexisse videatur, nostro loco coniecit *trepidos* adiectivum contra omnium codicum auctoritatem, qui *tepidos* exhibent. Immo lectio vulgata tam bene quadrat ad Ovidii usum loquendi, ut hac ipsa verborum coniunctione maxime impulsi simus, ut tertium librum Tibulli nomine circumlatum adsignaremus Ovidio.

caelestia numina 4, 53. Ov. Her. XIX, 181. Fast. VI, 251. ex Pont. III, 6, 21 (eod. v. l.) IV, 8, 89, (cf. *caeleste numen* Ov. Met. I, 367. Fast. VI, 23. ex Pont. II, 8, 15; *numen divum* Cat. LXIV, 134. LXXVI, 4. Verg. Aen. II, 336. 777 et passim). *ora inpia* 5, 14. Ov. Met. XIV, 2, 237. *os mendax* 6, 35. Ov. Met. IX, 322 (eod. v. l.). Am. III, 3, 44. *os sonorum* 4, 40 (de canente Apolline) cf. Ov. Fast. I, 572 (eod. v. l.), (cf. *ora sonantia* Met. VIII, 533). *os verum* 4, 50 (de Apolline vaticinante) cf. Ov. Met. X, 209 (*talia dum vero memorantur Apollinis ore*). ex Pont. II, 7, 23, (cf. apud Lucret. VI, 6 *os veridicum*).
pectora dura 4, 76. Ov. Met. XIV, 693. 758. *pocula mixta* 5, 34. Ov. Trist. V, 3, 50, (cf. *pocula miscere* Ov. Ib. 295). *praeda cruenta* 6, 24. Ov. Fast. V, 178 (eod. v. l.)

prex mollis 4, 76. Ov. Met. III, 376. *tertia regna* 5, 22 (de Orco) Ov. Fast. IV, 584 eodem sensu occurrunt; de caelo idem dictum est in Ovidii Am. III, 8, 50 (eodem v. l.) (conferas Ov. Met. V, 371 sq.: *Tartara quid cessant? cur non matrisque tuu ue imperium profers? agitur pars tertia mundi.* et Ov. Trist. II, 53: *per mare, per terras, per tertia numina iuro*). *curva senecta* 5, 16. Ov. A. A. II, 670 (eod. v. l.) *marmoreum solum* 3, 16. Ov. Met. XV, 672.

somnus ignavus 4, 81. Ov. Met. XI, 593 (eod. v. l.).

somnus mendax 4, 12. Ov. Her. XIII, 105. (cf. *somnus fallax* Cat. LXIV, 56). *doctae sorores* 4, 45 (i. e. Musae). Ov. Fast. VI, 811. Met. V, 255. Trist. II, 13, (*sorores* eaedem Musae nullo epitheto addito appellantur apud Ov. Trist. V, 12, 45.

Fast. V, 107. Prop. III, 28, 27. IV, 1, 17). *barbara tellus* 4, 91. Ov. Trist. III, 11, 7. V, 2, 31. *ebria verba* 6, 36. Fast. VI, 408 (eod. v. l.). *tristia verba* 4, 42. 6, 38. Ov. Trist. II, 133. *nigra vestis* 2, 18. Ov. Ib. 102, (cf. *vestis atra* Ov. Met. VI, 288. 568. VIII, 448. 769, *maesta* Prop. IV, 5, 13). *vota timida* 3, 33. Ov. Met. IX, 546. ex Pont. II, 8, 51.

Quem indicem si accurate inspexeris, vix dubitabis, quin liber tertius, qui Tibulli nomine circumfertur, vere Ovidianum habeat colorem. An haec omnia casu et fortuito facta esse putas? Immo vero Ovidius ut in sententiis novandis et in elocutionibus poeticis novis excogitandis in ceteris carminibus exstitit uberrimus, sic iam in his sex elegiis, quas prima iuventute videtur scripsisse, novandi tirocinium feliciter sustinuit.

Alias praeterea orationis proprietates, quae Ovidio in deliciis videntur fuisse, etiam apud Lygdâmum, qui dicitur, reperies: veluti *di meliora ferant* 4, 1, cui similis exstat exclamatio apud Ov. Met. VII, 37 ‚*di meliora velint*'; saepissime autem invenitur formula sollemnis ‚*di melius*' apud Ovidium e. g. Am. II, 7, 19. Her. III, 125. XVI, 30. A. A. II, 388. Remed. 439. Met. IX, 497. Ib. 23; adde Prop. V, 6, 65. *ignes admovere* 5, 11 habes apud Ov. Met. VIII, 461. Fast. IV, 706. ex Pont. I, 2, 56. nec minus *ora solvere* 5, 14. Ov. Met. I, 181. VII, 190. IX, 427. XV, 73. Trist. III, 11, 20. ex Pont. II, 5, 53. De dictione *suspiria repetere* 6, 61 conferas Ov. Met. II, 125 (*pectore sollicito repetens suspiria*) et Ov. Met. XIII, 738 (*suspiria referens*). *sortiri regna* 5, 22 exstat etiam in Ov. Met. VIII, 596. Cum sententia versuum 19 et 20 c. 3 (*Et quae praeterea populus miratur? in illis Invidiast: falso plurima volgus amat*) compares Ovidium in Am. I, 15, 35 (*vilia miretur volgus*). Paene eodem modo, quo dictum est *vivite memores nostri* 5, 31, legitur in Ov. Her. XI, 125 *vive memor nostri*. Cum locutione *periuria ridet amantum* 6, 49 velim conferas verba, quae exstant in Ov. A. A. I, 633 sq. (*Iuppiter ex alto periuria ridet amantum, et iubet Aeolios irrita ferre notos*). *Ei mihi* 6, 33 exclamatione, quae etiam apud Tib. II, 1, 70 et II, 6, 28 reperitur, libentissime Ovidius utitur: cf. Her. II, 106. III, 14. V, 60. IX, 145. XI, 112. XII, 7. XIII, 48. XV, 233. XVI, 90. 246. XVII, 125.

XIX, 107. Am. I, 6, 52. 14, 54. II, 3, 1. 5, 4. 18, 20. 19, 34. A. A. I, 672. 741. II, 274. III, 737. Met. I, 523. VI, 227. VII, 842. VIII, 491. IX, 520. Fast. III, 506. 618. Trist. I, 1, 2. 2, 45. 6, 29. 9, 36. II, 343. III, 2, 23. 8, 24. 12, 51. IV, 3, 11. V, 1, 20. ex Pont. I, 2, 7. II, 2, 5. IV, 6, 4. 8, 13. Formula *ite procul* 4, 3. 6, 7. 52 eadem legitur apud Tib. I, 1, 76. II, 4, 15. 20. Prop. V, 6, 9 sed ubique, si recte observavi, in versus initio. Apud Ovidium autem exstat: *i procul* Remed. 214. *i procul hinc* A. A. III, 505. Met. II, 464 itidem constanter in versu ineunte. Apud Lygdamum in c. 6 v. 52 *procul* ab *ite* imperativo pluribus verbis separatur. Sed cum *procul,* quod Dissen L. Mueller alii probant, mera Italorum coniectura ortum sit nescioquibus de causis probata pro lectione vulgata *precor*, quam codd. A. B. C. et excerpt. Frising. exhibent, hanc scripturam in verborum contextu retinebimus. Accedit quod saepius apud Ovidium *precor* verbum in fine pentametri positum est: Am. III, 2, 2. Her. V, 150. Fast. III, 428. V, 230. Trist. I, 11, 24. III, 13, 26. ex Pont. I, 9, 6. II, 3, 96. III, 2, 2. IV, 8, 10. Neque apud Tibullum neque apud Propertium *precor* vocabulum in hac versus sede collocatum inveni.

Liceat hoc loco pauca de orationis directae clausula *dixit et* 4, 81 adnotare. Quam formulam ab Homeri genere dicendi repetitam (cf. *ὥς ἔφατ'-δέ* Il. I, 33. 43. 457. 568. *ὥς φάτο-δέ* Il. I, 188. 345. 357. 511. 595. *ὥς ἄρ' ἔφη καί* Il. I, 584 et passim) apud Tibullum non legi, qui oratione directa finita his verbis utitur: *sic ego* I, 4, 7, *haec ego dicebam* I, 9, 29, *haec mihi edidit ore* I, 4, 73, *haec cecinit vates* II, 5, 65; sed saepius eadem illa apud Propertium (cf. III, 27, 10. 40. V, 4, 67. 91. IV, 2, 25. V, 9, 21) et saepissime apud Ovidium exstat, ex cuius libris pauca haec exempla excerpsi: A. A. I, 317. Met. III, 474. V, 230. XIII, 390. 448. I, 367. 466. 761. Fast. I, 283 et passim; nec minus frequenter Vergilius eandem formulam adhibet: cf. e. g. Aen. I, 402. 736. II, 376. III, 258. V, 477 etc.

Ovidianum est etiam *quamvis* 6, 56, quo adiectivi vis augetur vel quo concessio ita fit, ut verbum non sit additum; quem usum quamquam in ipso Tibullo habes I, 8, 59, praeter hunc locum Tibullus non adhibuit; Ovidio autem eundem in deliciis fuisse demonstrant hi loci: Am. I, 14, 10. II, 2, 55. 15, 13. Remed. 719. 793. Her. V, 125. Met. I, 628. II, 368. 860. III, 494.

628. IV, 206. 232. V, 54. IX, 476. XIV, 589. Trist. I, 9, 39. II, 135. V, 2, 43. 4, 37. 8, 1. Hal. 23; in Propertii elegiis haec exstant exempla: I, 15, 13. 17, 16.

De *parce nocere* 5, 6 moneo hanc constructionem imperativi *parce* vel *parcite* cum infinitivo coniuncti usitatissimam esse apud Ovidium; cf. *parce contemnere* Her. XV, 175, *damnare* Remed. 3, *gravare* Trist. V, 11, 30, *lacerare* Trist. III, 3, 51, *movere* Her. XIX, 115, Fast. IV, 204, *negare* Her. V, 43, *queri* Her. XVII, 203. Remed. 645, *timere* Trist. V, 9, 34; nec minus frequens apud eundem est pluralis numerus cum infinitivo coniunctus. Apud Vergilium autem bis tantum *parce scelerare* Aen. III, 42 et *parcite procedere* Eclog. III, 94 legitur nec saepius apud Horatium: *parce dare* c. I, 28, 23 et *parce carere* c. III, 8, 26, et semel in Tib. lib. I c. 6 v. 51 *parcite violare*; adde Prop. I, 15, 26. II, 5, 18.

Ovidianus stilus deprehenditur etiam in his versuum clausulis 3, 13 *innixa columnis* = Ov. ex Pont. III, 2, 49 et *aequora ponti* 4, 85 = Ov. Met. II, 872; ad *velavit amictu* 4, 55 cf. Ov. A. A. III, 179. Met. X, 1. Fast. III, 363.

Denique Ovidius libentissime participiis verbi *imitandi* paenultimam hexametri sedem tribuit, cuius exemplum habes apud Lygdamum 3, 15:

Et nemora in domibus sacros imitantia lucos.

Apud Ovidium autem hae formae eodem versus loco positae sunt: *imitante* Met. II, 2. XIII, 252; *imitantia* Met. XI, 613. XIII, 817. ex Pont. I, 2, 43. II, 1, 37; *imitatus* Met. VIII, 727. XIV, 521; *imitata* Am. II, 4, 15. Her. XIII, 41. A. A. II, 569. Met. IX, 340. 481. X, 106. Fast. V, 157; *imitataque* Met. IX, 783. A. A. I, 439; similia cum in Tibulli elegiis non exstent, apud Propertium his duobus locis leguntur: III, 30, 61 et IV, 13, 33 *imitata*.

Caput VIII.

Ex eis, quae supra congessimus, apparet ,Lygdamum' non ubique serviliter aliena imitatum esse ingenia, sed magnam dictionis copiam ipsum novasse et licet non omnia aeque bene excogitata sint, veri poetae ingenium in eo infuisse; eosdem eum absolvisse eruditionis disciplinaeque gradus quos Ovidium, eosdem eum studiose legisse poetas (Catullum Vergilium Tibullum) magnamque inter utrumque et sententiarum et orationis poeticae esse communitatem ac vix ullum usus loquendi discrimen inter eos intercedere. Itaque Ovidium eundem esse atque Lygdamum suspicamur. At ubinam invenitur celer ille rhythmus versuum Ovidianorum, quibus audientium aures delectantur? ubi illa formularum rhetoricarum ubertas, quibus reliqua Ovidii carmina abundant? ubi elegantia illa et facilitas, quod verum Ovidii numerosi patrimonium fuisse videtur? Audio, sed haec mecum reputes: Quod unicuique ex poetis accidere solet, ut, quamvis natura ipsa ad carmina condenda natus esse videatur, non statim bonam frugem ferat neque nisi exercendo et meditando pulcherrimos ingenii atque indolis flores mittat, id Ovidio quoque videtur accidisse. Cuius ut prima puerilis studii specimina ex oblivione et interitu salva evaderent, cum benigna permiserit Fortuna, statim in eo peccant viri docti, quod irrita comparandi ratione usi illa carmina cum iis comparant, quae maxime limata et adultae perfectaeque artis artificia esse inter omnes constat, cum Amoribus et cum Arte amatoria. Quam falsa haec ratio sit, supra demonstrare conatus sum. Sed ne cum Heroidibus quidem, quarum maximam partem prima iuventute compositam esse puto[1]), has elegias comparare licet, cum illas publici iuris auctor fecerit dignasque putaverit, quae ederentur, sed libri ,Tibulliani' tertii carminum quasi ineuntis adulescentiae erratorum paene prorsus

---

[1]) Cfr. tamen quae scripsit A. Riese: ,ich spreche hier einstweilen nur kurz die vermutung aus, dass einige der heroiden aus Ovids *später* zeit stammen (vielleicht einer zweiten ausgabe beigefügt wurden), und dass sich bei dieser annahme alles erledigen wird, was viele an unechtheit derselben glauben liess' (Annal. philol. 1874 p. 569).

oblivionem cepisse videatur. Ovidium autem paene puerum carmina composuisse ipse posteris tradidit Trist. IV, 10, 19 sq.:

At mihi iam puero caelestia sacra placebant
Inque suum furtim Musa trahebat opus.

Nec tamen ante quintum decimum aetatis annum versus eum pepigisse ex eiusdem elegiae v. 27 concludere licet. Sed hac fere aetate vel paulo post primum in versibus componendis tirocinium Ovidius fecit. In publico autem carmina ex more poetarum qui tum florebant eum fere viginti unum vel plures annos natum primum recitasse colligimus ex v. 57 sqq.:

Carmina cum primum populo iuvenilia legi,
barba resecta mihi bisve semelve fuit.[1])
moverat ingenium totam cantata per urbem
nomine non vero dicta Corinna mihi.

Iam ante hoc tempus, cum Ovidius decimum sextum fere vel septimum annum ageret, scripta sunt, nisi egregie fallor, ea carmina, quibus Neaera celebratur, et pluribus annis postquam poeta carminibus iam recitatis clarus factus est, epistola quinta libri tertii ad amicos videtur data esse. Quocum temporum ordine bene congruit, quod neque ex Vergilii Aeneide neque ex Propertii libris posterioribus neque ex Horatio neque ex Tibulli libro secundo quidquam imitatione expressisse ‚Lygdamum' supra demonstravimus.

Utrum re vera poeta Neaeram amaverit necne futtilis est quaestio, cum nihil certi de hac re traditum habeamus nec probabile esse videatur sub hoc nomine Corinnam latere, quamvis alterum nomen (⏑—⏑) pro altero facili negotio substitui possit; sed ut veri aliquid in argumento elegiarum insit, tamen eodem modo, quo magna pars Heroidum, speciem tirocinii suasoriarumque prae se ferunt, quibus Ovidium maxime delectatum esse docet Seneca controv. II, 2 (10), 12: ‚declamabat autem Naso raro controversias et non nisi ethicas; libentius dicebat suasorias'. Quam sententiam optimo iure expressit Herder noster, cum haec scriberet: ‚Die Heroiden Ovids sind Uebungen ebenso wie das dritte Buch des Tibull eine Uebung ist.' Nescio an eodem referenda sint, quae Bernhardy in histor. litter. Rom. de libri tertii colore rhetorico a Tibullo prorsus alieno optime dixit: ‚Der Verfasser besitzt weiche Formen und

---

[1]) Primum apud Romanos barba resecari solebat fere anno vicesimo primo vel altero (cf. Heinrich ad Iuv. XIV, 216).

weiss in sanftem Wechsel von Gefühl und malerischen Zügen kleine Scenen der erotischen Poesie schulgerecht auszuführen. Seine besten Studien sind die mit gelehrtem Schmuck verzierten Gedichte 4. 6'. Quibus ex studiis, ut unum afferam, etiam versus ille c. 1, 2:

Exoriens nostris hinc fuit annus avis

repetitus est, quem Ovidianum colorem prae se ferre nemo infitias ibit.

Nullum autem vestigium illius Ovidii, qui in lascivis carminibus excellat significationesque amatorias quam plurimas poematis suis immisceat, in eis de quibus agimus elegiis inesse, quis est qui miretur, ubi poetae aetatis rationem habuerit? Nec a prima iuventute exstitit Naso ,*lusor nequitiae suae*' (Am. II, 1, 2); a Corinna enim amica ad illud poeseos genus, quod in Amoribus et Arte amatoria exstat, incitatum se esse ipse Ovidius saepius fatetur (cf. Trist. IV, 10, 59). Neque ullo modo versuum rhythmus rationesque metricae Ovidio iuveni vel paene puero exprobranda sunt, cum etiam nunc demonstrare possimus poetam inde a primis carminibus, quae legitime ei adscribuntur, usque ad Fastos constanter in numerorum rhythmis eleganter perpoliendis progressus fecisse. Prorsus autem Hultgreni sententiam amplector, qui l. c. p. 29: ,In universum, inquit, sunt hexametri — quod idem fit de pentametris — Ovidiani illustria exempla, quae docent eo magis crescere dactylorum numerum, quo magis ipse poeta in arte procedat, et minui aetate senili, ubi ingenium languet . . . . Non temere igitur contenditur ex structura distichi plus minusve dactylica summatim coniecturas fieri posse de tempore, quo carmina confecta sint. Auctore enim Ovidio dubitari amplius nequit, quin poetarum elegiacorum poemata minus dactylice in principio distichi constructa inter opera iuvenilis aetatis referenda, carmina autem cum plurimis initiis dactylicis florenti aetati adnumeranda sint.' Quibus observationibus usi recte iudicabimus, si elegias sex, in quibus poeta in rhythmorum numeris prorsus Tibulli vestigia premit, primae tirocinii Ovidiani aetati tribuemus.

Sed haec de poeta. Superest, ut brevissime quaeramus, quo modo et quo tempore haec Ovidii carmina Tibulli elegiis inserta esse videantur. Iam dudum inter plurimos virorum doctorum ita convenit, ut carmina quae libris quattuor comprehensa Tibulli nomine circum-

ferantur, syllogen vel corpus esse ex diversis poetis consutum existiment. Nam certo panegyricus in Messallam, quem vocant, in initio libri quarti collocatus Tibullo abiudicandus est nec minus eiusdem libri elegidia vel epistolae inde a c. 7 ad carmen usque 12. Adde quod etiam ceterae libri quarti elegiae praeter decimam tertiam et quartam criticorum arte in suspicionem vocatae sunt. Nos autem aliique firmissimis nisi argumentis librum tertium totum alienum esse a Tibullo demonstrasse conati sumus. Sed quomodo haec sylloge orta est? Haase (berliner jahrbücher für wissenschaftliche kritik 1837 jan. nro. 5 p. 40) hanc sententiam proposuit: ‚ich glaube, inquit, dass diese sammlung weder von Tibull selbst, noch von seinem hause ausgegangen ist, sondern sie scheint mir gleichsam ein familienbuch zu sein, das im hause des Messalla entstanden ist, in einem um ihn sich sammelnden kreise gebildeter freunde von geschmack und warmem interesse für poesie, unter denen Tibull ohne zweifel die bedeutendste stelle einnahm und als meister galt und einwirkte, ohne dass wir diesem kreise den förmlichen charakter einer poetischen gesellschaft oder schule beilegen möchten. Dass Messalla die zum theil an ihn selbst gerichteten gedichte seines genauen freundes sorgfältig bewahrte und die fehlenden wohl aufsuchte, versteht sich von selbst; diese bildeten den kern der sammlung und gaben ihr natürlich später den namen, zumal da sie voranstanden[1]).‘ Quae omnia a plurimis virorum doctorum

[1]) Simili modo ortam esse syllogen carminum minorum Vergilianorum, quibus omnibus (dico Culicem, Diras, Copam, Aetnam, Cirim, Priapea et, quae usque adhuc falso Catalecta inscribebantur, epigrammata) certis usus argumentis *Catalepta* nomen restituit, nuperrime demonstravit Baehrens: ‚Wir haben jene gedichte einfach aufzufassen — *als dilettantische versuche aus einem dichterkränzchen im Messallischen hause;* wol der umstand, dass Verg. einst in seiner jugend mitglied dieses dichterbundes war und dass verse von ihm unter den andern arbeiten sich befanden, hat es veranlasst, dass, als später diese arbeiten aus dem archive des Messallischen hauses ans licht gezogen wurden, entweder ein argloser ignorant oder aber ein speculativer buchhändlerkopf das ganze auf den volltönenden namen des Vergilius taufte.‘ (cf. Annal. philol. 1875 p. 144). Etiamsi de Vergilii Cataleptis fere cum Baehrensio consentio (dubito tamen num omnia huc pertineant Priapea, quorum pars minus pure excultam praebet orationem quam quae poetis in Messallae verba iurantibus tribui possit), tamen inter haec et corpus Tibullianum discrimen aliquod intercedere nemo ignorat. Nam panegyricus ad Messallam in initio libri

bene accepta, quamquam mera coniectura nituntur, suam probabilitatem habent.[1]) Sed mirum profecto esset, si Ovidius, qui admodum iuvenis has elegias scripsisse videtur, quamvis egregia indole praeditus esset, cum nullo modo neque in versibus concinnandis limandisque neque in sententiis variandis et perpoliendis in fastigio Tibullorum positus esset, tamen iam tum in amicitiam doctae illius cohortis, quam vocant, venisset. Neque minus mirum esset Ovidium, si iam prima iuventute illius coetus socius fuisset, nusquam huius rei in carminibus mentionem fecisse.

His igitur argumentis commotus viris doctis aliam sententiam propono, quae uno testimonio firmari videtur posse. Tibullum enim Romae locum summi critici tenuisse et tanta auctoritate fuisse, ut non modo, qui artem poeticam primoribus labris attigissent, sed etiam poetae eximio ingenio praediti eius iudicia amplecterentur et sequerentur, ex Horatii epist. I, 4, 1 conicio:

Albi, nostrorum sermonum candide iudex,

qui locus non ab omnibus accurate explicatus est. Sane alios quoque aetate Augustea criticos magnam apud omnes artium liberalium peritos auctoritatem habuisse complures loci eiusdem Horatii docent: veluti quae affert de Quintilio Varo in Epist. II, 3, 438.

Ut supra vidimus, de se Ovidius ipse confitetur:

Inque suum furtim Musa trahebat opus.

Puer igitur cum patre et fratre Sulmone oppido relicto Romam profectus (Trist. IV, 10, 15 sq.) cum studiis grammaticis et rhetoricis ab illustrissimis, qui tum erant, magistris imbutus poetas legere coepisset, mox in sermone poetico ita versatus est, ut multos inde flores decerperet. Reliquiae autem horum iuvenilium speciminum videntur mihi esse carmina ad Neaeram scripta, quae quanti aestimanda essent, ut iudicaretur, Ovidius ad Tibullum criticum transmisit Publio praenomine cum ‚Lygdamo' nescioqua de causa mutato. In Tibulli autem scriniis carmina Ovidiana nonum fere annum premebant et cum criticus ille idemque elegantissimus

---

quarti Tibulliani positus ex poetarum coetu in Corvini domo versantibus originem duxisse nequit, si quid video, et diversis modis de Sulpiciae epistulis iudicari posse mihi videtur.

[1]) Nec tamen ullo modo probari videtur posse, quod Hankel (‚de panegyrico in Messallam' in actis soc. phil. Lips. V p. 71) coniecit corporis Tibulliani edendi negotium suscepisse Lygdamum.

poeta mortuus esset, quae ipse scripserat quaeque ab aliis ad eum poemata missa erant, ad Messallae domum translata videntur esse. Sed neque ab hoc neque eo vivo ab aliis has elegias editas esse apparet, cum, quo anno Messalla de vita decessit, Ovidius ipse Romae adesset (cf. Ov. ex Pont. I, 7, 29 sq.:

Cui [Messallae] *nos et lacrimas supremum in funere munus*
et dedimus medio scripta canenda foro.);

neque hercle neglexisset haec carmina tamquam suum patrimonium reposcere. Nec verisimile est, antequam Messalla moreretur vel memoriam amitteret, (de qua re nos certiores fecit Suet. d. v. ill. VI frag. 62 ed. Reiffersch.: ‚Messalla Corvinus orator ante biennium quam moreretur ita memoriam ac sensum amisit, ut vix pauca verba coniungeret') Tibulliano corpori elegias ab eo alienas insertas esse. His igitur rebus omnibus eo ducimur, ut a Messalino demum Messallae filio vel ab uno ex eius amicis sub mortem Ovidii vel si magis placet nonnullis annis ante elegias illas ut vere Tibullianas editas esse statuamus. Fortasse etiam fieri potuit, ut cum catalepta quae Vergilii esse putarentur, a viro critico vel bibliopola quodam ex Messallae scriniis ederentur[1]), alius criticus consilium caperet, quae tum ex Tibulli scriniis deprompta in Messallae domo servarentur, in lucem revocare publicique iuris facere. Quod si verisimile videtur esse, eodem fere tempore quo opuscula Vergiliana etiam corpus Tibullianum publicatum est.

Sed pedem sisto, ut brevi comprehendam, quae summa commentationis nostrae fuerit. Demonstrare igitur conatus sum carmina

---

[1]) Hoc non ante annum p. Chr. 11 factum esse prorsus adsentior Baehrensio (cf. l. c. p. 143); sed quod ideo quia Culicis apud Lucanum (cf. Suet. vit. 50 Reiff.) mentio facta erat, terminum, usque ad quem editio facta sit, fere ad a. 65 definit vir doctissimus, huic sententiae repugnandum est. Etiamnunc Culicem iuvenili Vergilii ipsius ludo deberi credo nec video, cur non iam ante hanc Catalepton syllogen carmen separatim a populo lectum esse possit, cuiusmodi exemplar Martialis commemorat. Neque enim intellego, cur Baehrens (l. c. p. 144 adnot. 8) haec contenderit: ‚Martialis erwähnt XIV, 185 einer sonderausgabe des Culex, was nur sinn hatte, wenn die gesammtausgabe der *Catalepta* schon vorlag.' Nec aliter mira illa locutionis *aetherius mundus* repetitio, quae et in Cul. v. 102 et apud Lygdamum 4, 17 legitur, probabiliter explicari potest, quam si ‚Lygdamum' fere a. ante Chr. 26 eam legisse statuimus.

libri tertii, quae Tibulli nomine circumferantur, Tibullo abiudicanda et Ovidio adscribenda esse. Carmen autem quintum fere a. ante Chr. 21 scriptum ad Messallam et Tibullum Ovidii amicos in aquis Etruscis vel in villa ad Tiberim in agris Arretinis ita versantes datum esse, contra ceteras libri tertii elegias ab Ovidio, ut censuram acciperent, nomine Lygdami uso ad Tibullum criticum hoc tempore auctoritate amplissimum transmissas esse; et ex huius scriniis fere circa Ovidii mortem fortasse a Messalino haec sex carmina edita esse.